BAPTISTAE MANTVANI

ORDINIS CARMELITARVM

POEMATA PRAESTANTIORA.

I. BVCOLICA SIVE ADOLESCENTIA

IN AEGLOGAS X. DIVISA

CARMEN PASTORALE.

II. PARTHENICE MARIANA

SIVE DE VITA ET LAVDIBVS B. MARIAE VIRGINIS LIBRI III.

CARMEN HAEROICVM.

E veterum Editionum vitiis converſa.

Hiſce praemittuntur contracta in Auctorem rerum geſtarum Commentaria.

FLORENTIAE

EXCVDEBAT CAIETANVS CAMBIAGI REGIVS TYPOGRAPHVS
Anno MDCCLXXXIII. *Praeſidum Facultate.*

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. IN GALLIA VIRIS

FRANCISCO

REGIAE COMITISSAE ARTESIENSIS A SACRIS MYSTERIIS
ECCLESIAE NANNETENSIS CANON. DIGNITATEQUE PRIMICERIO

PLACIDO

MACLOVIOPOLITANAE ECCL. CANON. MAGNOQ. EIVS VICARIO
IN AVLA REGIS CHRISTIANISS. A SACRIS CONFESS. CONCIONIBVSQ.

GERMANIS E SOLDINIORVM COGNOMINE FRATRIB.


QVEIS A PRISCA FLORENT. GENERIS HIST. DVCTAQ. SVCCESSIONE
AVITVM DECVS • COETERISQ. PRAESTANTIBVS COAEQVANDVM
A COGNATIONVM SELECTARVM NEXIBVS
A PERFVNCTIS IN REGNO MVNERIBVS
INTERCISA NVNQVAM SPLENDORIS PROPAGATIO
A DVLCISSIMA ERVDITISSIMORVM NECESSITVDINE
AB AMPLISSIMA SACRARVM LITTERARVM SAPIENTIA
AB OMNIGENO SCIENTIAE PHILOLOGICAE STVDIO
A PRAECLARIS IN REM ECCLESIAE PVBLICAM MERITIS
A DIFFICILI AEQVI PERAGENDI PRVDENTIA
AB EXIMIA IN DEVM RESQVE DIVINAS RELLIGIONE
SINCERAE OPTIMORVM HOMINUM PRAEDICATIONES
SVAPTE NATVRA • INSTITVTIONIBVS • SEDVLITATE
INSITISQVE VNIVERSARVM VIRTVTVM OFFICIIS OBVENERE

EXCVLTISSIMIS · NOBILIBVS · PLANEQVE ABSOLVTIS

P. FRANCISCVS MARIA SOLDINI FLORENT.

ORDIN. CARMELIT. EXCALCEAT.
CONSANGVINITATE • MVLTISQ. FOEDERIBVS CONIVNCTISSIMVS
POEMATVM INSTAVRATOR • RERVMQ. HISTORICAR. COMMENTOR
IN OBSEQVENTIS • AFFECTIQVE ANIMI SYMBOLA

D. D. D.



Baptistae Mantuani Carmelitae
Scriptoris Celeberrimi Terque Maximi
E' Vetustis Numismatibus Imago.

BAPTISTAE MANTVANI

IN VITAM, MORES, INGENIVM, STVDIA LITTERARVM, RESQVE PRAECLARE GESTAS

– *HISTORICA COMMENDATIO.*

QUantum ſapere permulti merito exiſtimant, & quamplurima ſcientiarum abdita & difficillima pervidere ſibi iure blandiuntur, deque viris ſummis agere ſe poſſe non dubitant, tantundem a laudandis hominibus moribus & doctrina praeſtantibus ideo deterreri prudentiſſime deberent, neque eorum in litterarum Rempublicam merita extollere editis commentariis, quod illorum futura ſit minor oratio atque humilior, quam horum pervagata in omnes ubique ſit fama, & glorioſa rerum praeteritarum commemoratio. Etenim quotuſquiſque eſt, cuius in ſcribendo non haereat animo conſilium, num audientibus legentibuſve mirandum virtutis omnigenae ſpecimen proponat, eamque laudatiſſimorum virorum exaggeret opinionem, quae praeconceptum vulgi ſenſum excedere plane videatur? Haec mecum ipſe cogitans, anceps in perſequenda inveſtigandaque Baptiſtae Mantuani vitae ratione ſcribendi opus aggrediar: quam nihilominus ita complectar, ut eius neque ſaltem extenuata neque minor inde futura ſit fama, quam hactenus tanti Viri fuerit apud eruditiſſimos anticipata exiſtimatio.

Decurrentibus annis Reparatae Salutis MCDXLVIII. ex honestissima *de Hispaniolis* Mantuana Stirpe editus in vitae lucem ea in Vrbe, a Parentibus, quum sacro ablueretur Fonte, Iohannis Baptistae, sive Baptistae solum nomine est appellatus, qui a natali solo *Mantuani* insuper additamento coepit deinde nuncupari.

Quae quantaque fuerit Parentum optimorum cura, ut virorum eruditorum opera atque institutionibus ad omnes adolescentium liberales disciplinas rite ipse informaretur, vel inde unicuique fas est praeclarum in modum inferre, quamprimum adultioris aetatis in omni virtute incrementa perspexerit. Itaque exactis ab eo singulari cum moderatione crepundiorum annis, coepit continuo sanctioris simul cum pietatis studio tum eas comparare ad bene beateque vivendum leges, tum humaniorum litterarum eruditiones addiscere, quibus veluti adiumentis in Religionis & Patriae spem adolesceret.

Nondum Iohannes primoris iuventutis limen attigerat, quum nuperae Carmelitarum Fratrum, Corpore a toto segregatae, Familiae, cuius eadem in Vrbe prima fuerant incunabula, crebris percitus narrationibus, arctioremque eorundem vivendi rationem satis edoctus, in eam, tanquam in totius sanctimoniae aditum, tantopere se sensit coelitus exardescere, ut, posthabitis incredibili celeritate rerum humanarum negociis, non sibi satis ratus est pro supremi Numinis afflatu fecisse, donec annum circiter MCCCCLXV. sacra Reformati Carmeli indumenta susceperit. Rei huiusce ab eo gestae primordia innuisse satis praeclare videtur Aegloga VII. ubi Alphus & Galbula inter se pastorali more colloquentes eundem sub Pollucis nomine mirabundi commemorant hisce carminibus:

Gal-

Galbula quid sentis? Pollux doctissimus olim
Fistulicen, subito quodam quasi Numine tactus,
Destituit, calamos, tunicas, armenta, sodales,
Baraocucullatus caput, ut campestris alauda,
Quatuor ante dies in relligiosa recessit
Claustra; ferunt illum pecudes dum solus in agris
Pasceret, effigiem quandam vidisse Deorum.

Verum antequam arduum a se conceptum melioris vitae consilium ipse perficeret multa ideo aerumnosa passum a rigido Parente, atque iniqua Noverca testatur eadem Aegloga, quod suis in puellam coeteroquin honestissimam amoribus dire adversarentur; quae profecto consona cum iis sunt ferme, quorum Aegloga I. meminit; quamquam eadem ita circumvestiat, ut non pro rei veritate ibidem tradita connubia credamus oportet, sed Poematis scopo ingeniose concinneque accommodata, consertaque videantur.

Quantum autem Mantuanam Carmelitarum Congregationem paulo pridem institutam attinet; cui vix emenso adolescentiae stadio, Baptista nomen dederat; quamquam eruditissimos latere non debeat quae eius fuerint auspicia, quibusque auctoribus ipsa feliciter adoleverit, expedit tamen arbitratu nostro pauca quaedam heic commemorare quorum historiam scribendi consilio proposito admodum consentaneam existimamus. Eadem videlicet ab anno Christi MCCCCXLIII. exordium petiisse fertur, quum ab Eugenio IV. Pontifice Ecclesiae summo, postulantibus totius Ordinis Praefectis supremisque Moderatoribus, *Primitivae*, ut inquiebant, Carmeli *Regulae* fuisset legitima indulgentia derogatum. Verum imminutae Legum austeritati quum, ut mos est, quamplurimi extiterint, quorum non esset animus rerum novarum consuetudini accommodan-

dus, neque ferre nisi invita voluntate valerent ab inveteratis Maiorum suorum institutis placitisque dimoveri, scindi propterea visi continuo sunt Carmelitae iis temporibus in adversa invicem affectuum commenta: quippe priores, quorum ingenuo studio humanae imbecillitati fuerat scite consultum, conqueri contra zelotypos saepenumero auscultarentur, se ab Apostolica Romanae Sedis Potestate, accedente universorum ferme suffragio, aliquot mitiora quaesiisse, quae contra fas multo antea in morem ideo transierant, quod ipsa haud amplius, post diuturnum plurium saeculorum spacium, eorum annorum atque hominum institutis, incolumitati, votisque possent coaequari; coeteri autem pauciores obstiterant, seque pro avitae professionis clientela certare velle testabantur, quod non desidiae, & plurimorum vitio magis victas manus praebere debuissent Ordinis Antistites, quam germana rei gestae necessitas efflagitare iure potuisset. In magno itaque utrimque diffidentium aestu, dum plerique, numero atque auctoritate potentiores, reliquis praevalere tota contentione nituntur, isti haud consultius suae tranquillitati ac tuitioni studere se posse putant, quam si apud Eugenium ipsum aequissimis humillimisque obsecrationibus aggrediantur, ut sibi iuxta veterem Carmelitarum disciplinam libera vivendi agendique potestas fiat, omnesque deinceps & singuli toto ab Ordine seiungantur. Annuit reipsa exoratus Pontifex iis, qui perfectioris vitae cupiditate ducti praesumi merito poterant: quare hosce inter praestantiores Carmelitas Petrus Stephanus natione Tolosanus arctioris Instituti ardore antistare eo tempore, annisque deinde succedentibus patuit; quippe ipsi prioris Coenobii infra Hetruriae fines cura quamprimum credita fuerit; cui a *Silvis* nomen servat adhuc; monasticum continuo

cul-

cultum aut inſtaurandum penitus, aut perficiendum cogitat: qua in ſollicitudine quum ſtrenuus perſeverat, alioſque plures foederatos eo magis in dies ſatagit congregare, conditis novis appoſite ſanctionibus Apoſtolica auctoritate abſciſſi recens Ordinis ſupremus Vicarius Generalis, ut aiunt, eſt renunciatus.

En itaque quantum commendationis ſibi compararit Baptiſta Mantuanus, quum adoleſcens non eum amplecti voluit coenobitici tyrocinii ſtylum, quem molliorem ſibi fore pernoſceret, ſed illi potius adhaerere, quem probatiſſimo magis ſui genio congruere, ob illapſum coelitus afflatum, noſſet apprime. Ipſe autem, ne inconſulta animi occupatione levitateque actus videri fortaſſe aemulis rerumque meliorum contemptoribus poſſet, ubi primum in horum Carmelitarum conſortium eſt iis plaudentibus exceptus, inde coepit incredibili mentis ardore ſibi tantum, & virtutibus, & humanarum eruditionum omnigenae ſapientiae adeo navare operam, ut, emenſa hac ratione multorum annorum periodo, univerſorum admirationi, atque obſervantiae in ſe maximae demum patuerit.

Ob inſignem itaque de eo praeconceptam experimentiſque confirmatam Fratrum ſuorum opinionem facilem ſibi proinde rerum publicarum adminiſtrationem conſcivit: quare anno MCCCCLXXIII. Praeſidum ſuorum voluntate Bononiam eo eſt profectus conſilio, ut Ordinis Carmeliticos Alunnos altioribus humanarum, ſacrarumque diſciplinarum litteris erudiret: qua in Vrbe ut plurimos ſibi familiares virtutumque ſuarum admiratores comparavit, ita prae coeteris Virum ſanctimonia moribuſque ſuaviſſimis illuſtrem Ludovicum Morbionum Bononienſem adamavit, cum eoque intima ſemet obſtrinxiſſe ea fertur neceſſitudine, quae a paribus ſtudiis, votis, atque negociis inter homines ſum-

summos solet oboriri; cuius deinde res praeclare gestas post dulcissimi amici obitum excelienti Poemate ad Innocentium VIII. haeroice constat adornasse.

Dum multo amplius omnes sibi Mantuanus benemereri curat, & apud Viros Principes ob maximam virtutum suarum existimationem fit acceptissimus, quamplurima etiam haurit inde Ordini suo honorum, unaque magnarum utilitatum incrementa. Duo potissimum id genus silentio infra brevitatis nostrae fines haudquaquam sicut praetereunda, reliquis plane posthabitis; ne videamur multa heic innuere, quin exempla ad fidem faciendam ulla afferamus. Quum Baptista noster plurimum benevolentia & fama litterarum inter plerosque Italiae Magnates valeret, tum maxime ab Ecclesiasticis supremis Moderatoribus in pretio singulari haberi ipse solebat; quos inter principem obtinere locum videbatur Iulianus S. R. E. Cardinalis e Roborea Gente, Sixti IV. Pontificis ex Raphaele germano fratre Nepos, cuius incomparabilis erat Romae & ubique auctoritas, rerumque expediendarum peritia. Ab hoc itaque amplissimo Viro Aedem *D. Chrysogono* Sacram, Domumque conterminam anno MCCCCLXXX Carmelitis Mantuanae Congregationis Romae exinde commoraturis, plaudente Avunculo Pontifice, dono obtinet primum; atque ab eodem Purpurato, Sacri Lauretani Templi totiusque Carmelitici Ordinis Protectore, anno postmodum MCCCCLXXXIX. illud est honorifice consequutus, ut triginta eius Instituti Viri insigni eodem in Loco decernerentur, qui perpetuo famulatu sacrorum curam gererent, divinisque ibidem muneribus fungerentur.

Cum tot tamque praeclaris in Ordinem meritis nonnisi iungi posse videbantur universorum Fratrum vota plaususque germani, quibus eximia Baptistae virtus,

tus, & per Italiam omnem fama longe lateque dimanata, singulari aliquo ornaretur argumento. Quapropter coacto Novolariae Congregationis totius e Patribus Carmelitis Conventu anno MCCCCLXXXIII. primum Mantuanus noster in Generalem, ut aiebant, Vicarium est unanimi suorum suffragio renunciatus.

Quamprimum commissi regiminis habenas tenere est auspicatus, haerere ingenio, & sedulitate haudquaquam est passus vel hilum, quin ad utillima continuo negocia pro Instituti sui amplitudine atque decore converteretur: nanque universa Ordini ab Eugenio IV. Pontifice indulta pridem ad illius incrementum ita cavisse tunc temporis fertur rerum suarum Vir studiosissimus, ut repetitis uberiori augmento sanctionibus a Sixto IV. singula confirmarentur. Adeo ipse vero ad Congregationis suae incolumitatem pristinumque splendorem invicte tuendum efferbuisse animo constat, ut non quae solum maioris momenti visa sibi, pro exquisito mentis acumine rerumque publice gerendarum sapientia, optime fuissent, sed ea insuper quae minoris haberi passim solent, diligentissime procuraret; quae inter censeri, atque in medium lucemque heic proferri ea controversia debet, cuius aestu haec circum tempora Carmelitae Mantuani Foederis Fratres invicem certantes dire scissi traduntur. Exorta nimirum eos inter diffidentes lis fuerat, num sacris Fratrum indumentis niger ac fabrefactus, sive nativus ovium color magis aptiusve congrueret; a cuius etiam mutui certaminis incremento prodierat, quemlibet pro sua voluntate & placito non voce tenus suffragioque duntaxat, sed more etiam & vestimentorum usu a reliquis vicissim discrepasse. Quamquam Mantuanus Praesul, spectata funditus controversia, rem haudquaquam magnifacere deberet, eam tamen dirimendam fore ideo cen-

censuit, nativamque lanam sanctione sua praehabere voluit, quod eos nigro colore abutentes a primaevo etiam morum candore sensim defecisse perspexisset; quemadmodum Aegloga ipse X. eodem spectasse patet, quum mutuo colloquentes Batrachum, atque Myrmicem ita profert:

Dic mihi, dic Myrmix, priscum cur lana colorem
Perdidit? haec gregibus quidnam nova vellera fecit?
Cur pecus est nigrum, quod erat melioribus annis
Clarum? Immutarunt mutati vellera mores.

Re autem ipsa Mantuanus quam pauci lis isthaec esset habenda, novisse fatetur eadem Aegloga, quum hisce carminibus interloquutionem omnem absolvit, seque non aliunde ad veteres vestimentorum ritus servandos permotum satis praeclare testatur, quam ob depravatos aliquantisper suorum mores, qui, dimisso Maiorum piceo colore, cum nigro simul recens assumpto ad opposita rerum gestarum studia perperam declinassent: ita namque sub Candidi appellatione verba intermiscet apposite:

Quae vos debilitas capitis, quae insania vexat?
Non pudet his uti tanto sub iudice nugis?
Ergo animis audite aequis, odiisque sepultis
Vltima doctiloqui quae sit sententia Bembi:
Ferte per antiquos Patrum vestigia gressus,
Et veteres servate vias; revocate vagantes
Per valles & saxa greges, per lustra ferarum;
Figite in antiquis iterum magalia campis.

Posteaquam incredibili cum animi moderatione rerumque expediendarum prudentia commissi primum sibi

sibi agminis curam laudatissime expleverat, singulosque Carmelitas suos miro veluti fascino devinxerat, dulcissimam ad suarum litterarum quietem continuo revertitur, ratus se nullos idcirco amplius censurum aemulos tranquillitati admodum infensos, quod privatae tantum vitae esset in posterum consulturus. Verum, heu incostans Virorum bonorum etiam, & innocentium aerumnosaque conditio! Quantum adversus Ordinis institutionem incrementaque inique passus est ab invidis detractoribus; ut alibi de huiusmodi varia fortuna opportunius agemus; tantundem, post amotas improborum criminationes, ab aliis invicte pertulit, quamprimum bellum sibi inferri acre atque molestum extemplo persensit, quum eductis rei litterariae armis quamplurimi eius de Poesi, deque omni eruditione famae ubique pervagatae insidiatores vaferrimi in criminum iudicium pertrahere fuerant per dolum nefariasque technas moliti. Horum videlicet astus eo spectare videbantur, ut imperitis multa imponerent ridenda plane, quibus Mantuanum, si fas esset, a publicae existimationis dignitate deturbarent; namque eum accusare perpetuo niterentur, quod Poetarum deliramentis nugisque adeo delectaretur, ut omnium absque delectu ethnicorum, prophanorumque scitis atque carminibus abuti vellet, & in sacrarum etiam litterarum adiumentum eadem saepenumero derivaret. Multo plura id genus heic silentio praeterimus ab accusatoribus minus apposite in eum prolata, quae, ut nos pudet modo vel obiter enarrare, ita pudere illos multo magis debuisset, pro insigni suae mentis insania, temeritate, & inscitia, comminisci.

Quamquam isthaec Baptistae nostro suadere liquido possent, nihil in se plane habere, nisi putidam imperitorum hominum arrogantiam, quae uno tantum

contemptu propulsari plerumque a sapientibus solent, attamen spectare atque animadvertere serius ubi primum est adorsus quam late posset perdita hostium suorum in Relligionis & Regni perniciem impudentia divagari, nisi apposita Apologia docte subtiliterque eidem obsisteret, nihil propterea temporis est ab eo intermissum, quominus confutationibus adornatis blaterantium iactantiam compesceret.

Forte iis annis pulcherrimum *Parthenices Marianae* Poema, nulli profecto suorum Operum coaequandum, ad unguem ipse perduxerat: quare viris eruditissimis efflagitantibus, ut tam praeclaram, post emensum studii & laboris biennium, elucubrationem in publicum commodum voluptatemque prodire pateretur, ipsis demum invitam licet voluntatem suam accommodare statuit, totumque Carmen virtute genere atque eruditione praestantissimis Amicis Bononiensibus Ludovico Fuscarario, & Iohanni Baptistae Refrigerio censuit devovere: ad quos ut Epistolam Nuncupatoriam, ita simul Apologeticon adversus insolentes insimulatores dedit; cuius si quis vim, sapientiam, scribendique apposite robur expendere cupiat, nihil profecto deesse ibidem conspiciet, quod non cumulatum sit numerisque omnibus absolutum.

Interea Mantuanus, adversantibus licet meritorum suorum detractoribus, tantopere triunphare nihilominus potuit, ut non ob apologeticam duntaxat operam, verum etiam ob singularem modestiam in omnibus factis dictisque in multo maiorem egregiae virtutis opinionem efferri tum apud exteros, ac tum maxime penes suos visus facile fuerit. Quamobrem anno MCCCCLXXXIX., qua omnes germanam in eum observantiam proderent optime testatam, in Mutinensi Carmelitarum Synodo Generalem iterum Congrega-

tio-

tionis Praeſulem renunciarunt: quo item in Conventu certatim, ſinguli atque uno veluti conſilio ſponte actos ideo ſe conveniſſe affirmabant, quod non abſque iniuria ſecus in Mantuanum deliberare potuiſſe putarent, qui ob eximiam rerum divinarum humanarumque ſapientiam omnium eruditorum ſui temporis princeps abſque fuco, atque aſſentatione celebrari paſſim ſoleret. Huiuſce tam mirae laudis ubique, maxime per univerſam Italiam, pervagatae materiam haurire facile docti & acuti homines poterant tum ab eius diſerto oretenus ſermone, ac tum primum ab Operum editorum ubertate, quae iamdudum circumferri quaquaverſus coeperant, & ſapientiorum manibus conteri. Appoſite rei huic expedit propterea heic Commentariis tradere quae quantaque Scriptores edicerent ii, quorum, ut omni exceptione maior de virorum illuſtrium geſtis habetur fides, ita gravior cenſetur iure auctoritas, quod Baptiſtae noſtro ſynchroni vixerint, neque ad ipſum celebrandum privatis iis affectuum humanorum fuerint ſtimulis acti, qui honeſtos ingenuoſque hiſtoriographos dedecere feruntur.

Horum prior anteferri debet Iohannes Picus Mirandulae Comes, cuius in omni eruditione crebris litteratorum laudibus praeſtantia ubique locorum praedicari ſolet: ita ipſe namque in Epiſtola ad Mantuanum data quae de tanto Viro eiuſque doctrina ſentiret, ſincero calamo profert: *Longe quae ſcripſiſti; divina ſcilicet atque ſanctiſſima illa tua Poemata; in quibus ea rerum maieſtas, is ſplendor eſt eloquentiae, ut certatim in illis palmam ſibi vendicare verba, atque ſententiae videantur. Felix, qui velis optima, eadem poſſis! Felices nos, quibus non ſolum legere quae ſcripſiſti, ſed etiam te amare, te videre, te alloqui datum eſt! Dives hic mibi materia; & quae non epiſtolam, ſed iuſtum volumen impleat;*

pleat; si evagari me in laudandis tuis Poematis vel imbecillitas sineret nostra, vel pudor tuus. Hoc unum dixero, delectari me adeo lectione tuorum Carminum, ut fere quotidie, quum me vel taedium vel fatigatio ceperit, in illa quasi in hortum solutus sim secedere. Ethaec a Mirandulano Principe pro meritis scripta minoris profecto haberi debent, quam quae celebris Abbas ille Trithemius de Baptista nostro prodiderit, qui de Ecclesiasticis Scriptoribus singillatim acri iudicio multa complectitur; quamquam ambo illustres Mantuani Laudatores annis cum eo compares fuerint. *Baptista Mantuanus* (sic ille) *Ordinis Fratrum Beatae Mariae semper Virginis de Monte Carmeli, Vir in divinis Scripturis eruditissimus, & in saecularium litterarum scientia nulli secundus, Sacrae Theologiae Doctor, Philosophus insignis, Poeta, & Orator celeberrimus, ingenio excellens, sermone disertus, vita & conversatione praeclarus, Latinae linguae decus, & Graecae clarus interpres. Scripsit utroque multa egregia Volumina, quibus nomini suo per universum orbem Christianum famam celebrem acquisivit.* Paucis haec quidem expressa, sed iudicii laudisque robore amplissima. Ipse vero Abbas alibi subdit: *Vivit adhuc in Italia celeberrima opinione ubique nominatus, & varia conscribit sub Maximiliano Romanorum Rege anno Domini, quo nos ista complevimus*, 1494. Hactenus Trithemius: qua simul eadem fama doctrinae, & incomparabilis ingenii gloria quum universorum sermone Mantuanus percrebresceret, ita Generalis Vicarii collatam dignitatem gerere videbatur, ut res in ancipiti spectari passim soleret, num ei revera muneris adepti splendor aliquid addidisset, seu sapientiae suae praestantissima potius nobilitas supremae Congregationis Praefecturae decoris multum, atque excellentiae contulisset.

Ve-

Verum, decurrente primum eius in omnes sibi creditos totumque Ordinem feliciter imperio, coepit sensim gliscentem deinde, invito licet moerore, experiri ingentem aemulorum infensissimorum turbam, cuius illud erat pugnandi consilium, ut nuperam Carmelitarum suorum Familiam in extremum excidii discrimen adduceret. Anceps est nobis, seu decernere plane tutoque nequimus, utrum Mantuanus a coe eris extra Congregationem Carmelitis, sive ab aliis dire fuerit impetitus, quibus nulla esset cum Instituto universo communio: bellum tamen exarsisse tantopere novimus, ut negocium aleae plenum diu quidem perseverarit, donec suprema potius auctoritatis Ecclesiasticae vi, quam ordinata iudicum oeconomia lis utrimque omnis fuisset postremo dirempta. Potior adversariorum actus haud alio ferri videbatur, quam nugacibus absurdisque sermonibus tranquilla Congregationis iura susdeque miscere, omnibusque per fraudem imponere, recentes eos Carmelitas nimirum singulis carere caracteribus, titulis, legitimisque honoribus, unde inter rata confirmataque Regularium, ut aiunt, Ecclesiasticorum Instituta censerentur; neque propterea huic Ordini, veluti falsa Beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo appellatione insignito, plaudendum esse effutiebant; ut multo plura silentio praetereamus, quae nostra haudquaquam interesse heic commemorare putamus.

Itaque Mantuanus, pro incredibili in Ordinem sollicitudine optime sibi consultum existimavit Apologiam apposite concinnare, quam ad Sigismundum Gonzagam S. R. E. Cardinalem atque Ordinis Patronum dedit, eandemque inscripsit *Contra Detractores Ordinis Fratrum Beatiss. Virginis M. de Monte Carmelo*. Nihil in ista litterarum palestra optandum profecto se offert, quod

quod doctrinae, quod eruditioni, quod ſcribendi acri ſtylo deſit: namque calamum ita Mantuanum acuiſſe novimus, ut ſingula non tam ab ingenii viribus, quam a ſinceris animi affectibus profecta eſſe videantur; quippe a putida inimicorum falſitate laceſſitum ſemet continere haud amplius valuiſſe monſtret, ſeque etiam extra uſitatum agendi morem vehementer raptum in illos luculentis hiſce teſtetur verbis, quum Mecoenatem alloquitur: *Doleo, Reverendiſſime Pater ac Illuſtriſſime Domine, quod non tam occaſione inducar, quam neceſſitate compellar reſpondere maledictis improborum, & quod contra morem ac inſtitutum meum compellar rixari, & videri litigioſus: quod vitium a teneris annis ad hanc uſque aetatem neſciebam, &c.*

At iſta licet validiſſima ad tutum pro ratione & aequitate triunphum comparandum ſapientiorum iudicio fuiſſent, perditorum tamen hominum vafrities fraudeſque in Ordinis Carmelitici exitium una conſpirantes quum ab uno litterarum ope tantum freto Viro pene inſuperabiles viderentur, eflaerato propterea eorum furori ſuccubuiſſet dubio procul, niſi Magnatum potentiorum auxiliis ingenuo Scriptori technarumque humanarum experti prorſus fuiſſet tempeſtive proſpectum. Quamobrem accita ſibi Falconis Prothonotarii Apoſtolici clientela, cuius magna erat Romae apud Pontificem auctoritas, tota brevi huius beneficio hoſtium ſuorum effracta eſt ad nocendum textura.

Ad eum itaque beneficentiſſimum incolumitatis tutorem grati animi ergo Carmina multa metro vario excuſa Mantuanum dediſſe non ignoramus; unde eruitur praeclare ſatis quam proſpere quaſſata Carmelitarum Congregatio in priſtinum amplioremve tranquillitatis ſtatum fuerit reſtituta; ut hiſce maxime verſibus ipſum Vatem laetitia geſtientem, deque parta victo-

ctoria Falconem adloquentem possumus ad rem contemplari:

Te Duce cyclopes, immania monstra subegi;
Est erymantheus, te Duce, victus aper.
Phasides, & circes, acheloiadumque sororum
Carmen, & harpyas stymphalidasque fugas.
Te Duce gerionem, & barbara vicimus arma,
Armigeramque segetem, flammivomosque boves:
Te Duce nigrantes erebi superavimus umbras,
Et cava tartarei fugimus ora canis:
Te Duce servatae Leges, & iura Parentum,
Nostraque res maius publica robur habet:
Te Duce quassatam fulcris melioribus Aedem,
Et laceram solido struximus aere Domum:
Te Duce Pontificis Summi mihi limen apertum,
Et sancti patuit regia magna Patris.

Quum vero isthaec cumulatum aemulis afferunt exitium, resque Carmelitarum publicae firmiori gradu consistunt, Baptista, Vicarii Generalis expleto munere, ad semota studiorum suorum otia libentiori cura revertitur. Dudum ipse excogitarat post *Parthenices Marianae* elucubrationem paria haeroico metro nec absimili titulo Carmina cudere; quorum tamen nulla adhuc prae negociorum multitudine ediderat. Forte hisce temporibus a Clarifs. Viro Iureconsulto Bernardo Bembo Patricio Veneto, multo pridem necessitudine sibi coniunctissimo, creberrimis epistolis fuerat impulsus, ut *D. Catharinae* Alexandrinae Virg. & Martyris gesta versibus omnia complecteretur, quae alteram efficerent *Parthenicem*, scribendi dignitate priori similem; quamquam argumenti propositi praestantia dispar admodum a priori esset habenda. Quum itaque Mantuanus Bem-

Bembum afflatur Epiftola, quae *Parthenicae* pofteriori praehaberi cernitur, Nuncupatoria, ut magnam in Divam Virginem pietatem ipfe praefefert, ita ignari hominis, neque ad litteras, & facrae eruditionis criticem facti carpit audaciam, & indigna plane deliramenta, quibus folum fretus Catharinae hiftoriam peffimo calamo fuerat perfequutus. Credibile vel inde nobis apparet, *Parthenices* huiufce Carmen a nonnullis immerita plane cenfura fuiffe profciffum: quare illud ubi primum eft evulgatum, aliud prodiit in lucem Francifci Cereti Parmenfis breve Carmen *In invidum Lectorem*, cuius elegantia & vi ab iniquis vituperationibus eft vindicatum.

Antequam tertio Mantuanus ad fupremum Congregationis culmen attolleretur tria potiffimum Carmina haeroicis verfibus abfoluta excuderat; quamquam ea nonnifi pofterioribus annis in lucem typographicam demum tranfierint. Horum primum Equiti Domino Ludovico Gonzalez Hifpano D. Iacobi Galleci Commendatarium devovere pro meritis Auctor cenfuit, cui Poemati titulum praetulit: *In Robertum Severinatem Panegyricum Carmen*: alterum autem ad Magnificum Comitem Andream Bentivolium Bononienfem attulit, quod *Somnium Romanum* infcripfit; poftremum vero tribus Voluminibus eft complexus: *De fuorum temporum calamitatibus*: quod Dom. Oliverii Carafae Neapolitani S. R. E. Cardinalis & Sabinenfis Epifcopi fub clientela conftituit. Horum porro Carminum praeftantiam fupervacaneum eft verbis extollere, neque conducibilius fidei faciendae fore exiftimamus, quam eruditos, qui ifthaec Commentaria erunt forte lecturi, commonere hortarique, ut eadem fedulo ingenio, manibufque faepenumero verfent; ne videamur partium ftudio praerepti ab iifdem ut nobis affentiantur

tur efflagitare; quod tamen experimento valent ipso multo certius praeclariusque detegere.

Hactenus Baptistam spectavimus nostrum Poetices excellentia adeo insignem, ut synchronos universos, atque ex antiquis longe quidem quamplurimos excesserit, sui tantum ipsius, non alienorum Operum aemulator. Verum neminem latere volumus, haud ab eo definitis hisce virtutum selectissimarum finibus praestantiam sui omnem fuisse conclusam, quin alia, non moribus solum & sanctissima vivendi consuetudine, verum etiam disertis altioris sapientiae operibus, monimenta prodiderit, ob quae Virum terque quaterque maximum revereri omni iure debeamus: aureos inquam tres *De Patientia* Libros, quos exemplis constantique primum ferendorum malorum ratione, deinde tum multiplici ad rem sententiarum ubertate, tum congruis animadversionibus, tum etiam praeclaro rerum altissimarum adspectu dispositos cudendos adeo curavit, ut in ingenti ipsa argumentorum copia ordinate inter se nexa universa ad unum idemque colliment princeps scribendi propositum, cum mirifica doctrinae sacrae atque prophanae amplitudine copulatum; quin aliquid legenti se offerat, quod non cohaerens sit, aut perperam a scopo distractum, aut humile, aut imbecille & gravi scriptore indignum quoquomodo detegatur. Paucis laudationem absolvimus, si affirmemus; inde unicuique fas esse iure quidem arguere, Mantuanum nostrum excellentem fuisse Theologiae abditioris cultorem, ad Philosophiae vero, naturalis potissimum, dogmata; ut eorum temporum conditio patiebatur; satis superque informatum, graecarum autem aliarumque quamplurimum litterarum, quae eruditissimorum hominum sunt maxime propria, cognitionem tantopere edoctum, ut neminem sua

aetate sibi coaequandum posset habere. Quamquam Opus huiusmodi quoto ipse annorum spacio demum absolverit, coniicere nequeamus; quod certe non magni esse momenti sapiens quisquam intelligit; explorata tamen est historia, eum paulo pridem illud perfecisse, quam tertio ad Vicarii Generalis celsitudinem fuisset elatus; quod contigisse fertur anno MCCCCXCV.; tametsi illud Venetiis anno MCCCCXCIX. typographico labore excusum in vulgus denique prodierit, Francisco Fantuccio Patritio Bononiensi devotum.

Posteaquam delatum Patrum omnium consensione sibi Praesulis munus eodem anno iterum assumpserat, quamvis immensis propemodum litterarum curis esset perpetuo distentus, tantum nihilominus ocii, temporis, atque laboris impendere satagebat, quantum ut rei Ordinis sui publicae rite prospiceret efflagitari existimabat. Eius autem aetas quum magis, annorum veluti pondere, detrita fieri coepisset hocce tempore, nihil tamen de usitata vitae suae ratione voluit imminuere, neque aliquid immutavit, nisi quod, ut eius omnigena virtus praeclarius in ipsa muneris dignitate a pluribus cognosceretur, effecerit: quamobrem eandem, quam antea privatus, comitatem, eundem studiorum cultum, eandemque vitae ac disciplinae severitatem retinuit. Verum quo amplius frangi eius membra debilitarique poterant ab ipso sentiri, eo magis animi vires erigi confirmarique, eo fatente cunctisque mirantibus, pergebant; atque haec una erat omnium vox, neminem esse hisce temporibus, qui pro suae Congregationis amplificatione maiori libertate sententiam apud quoscumque diceret pro re nata, qui minus ad gratiam loqueretur, qui quae vera atque aequiora putarentur aut constantius aut animosius tueretur, quam Mantuanus Antistes; cuius illud erat firmum in rebus gerendis

dis

dis consilium, se absque piaculo & criminis specie a tuendis iuribus Ordinis deflectere fidemque fallere nullatenus posse, cui praepositum fuisse a Deo Opt. Max. non ignoraret. Tam longe itaque aberat, ut nihil unquam ipsum deterreret, ut is potius cum singulari lenitate sibi obsequio ac reverentia coeteros devinciret, qui non in sermone tantum, sed in vultu ipso ac nutu suo magnam inesse auctoritatem singuli existimarent.

Dum vero Baptista tam laudabiliter se habere omniaque administrare optime videretur, ei cumprimis gratissimum atque optatissimum accidit, illius Congregationis summam sibi esse creditam, qui eidem amplificandae omne ferme anteactae vitae spatium omnesque cogitationes devovisset, qui etiam in florentem eius statum nonnisi suamet opera atque incredibili sollicitudine prospere adduxisset, qui demum tanquam perfectum & absolutum primaevae illius innocentiae & integritatis exemplum omnium praedicatione commendaretur. At non minus ipsi iucundum potuit evenire, quod cum publica rerum suarum procuratione liberam aeque sibi cerneret edendorum Operum facultatem, & genio posset indulgere suo. Quapropter ut maiorem etiam dignitati atque Ordini gloriae fructum conciliaret, quinque alias *Parthenices* haeroicis versibus adornandas suscepit, quas in totidem DD. Virginum &. Martyrum *Margharitae*, *Agathae*, *Luciae*, *Apolloniae*, atque *Ceciliae* laudes est disertissime prosequutus.

In hisce autem quanta sit venustas schaematum, styli suavitas, metri facilitas, aptaque verborum cum rerum veritate conformatio, peritis iudicium relinquatur. oportet omnibus, qui post emensos plurium saeculorum annos Poemata Mantuani singula mirabundi plane, quoad non illa solum suspexere, quae nuper in-

innuimus, verum etiam perpetui constantesque sunt visi in detegendis eorundem Carminum veneribus cum sententiarum maiestate coniunctis; ut reliqua pene infinita silentio heic praetereamus, quorum quotquot ad haec usque tempora extiterint germanae in Latina Poesi pulchritudinis amatores semper meminere: ac quemadmodum ipsius ulla vitae pars non eiusmodi fuit, ut in ea quum semper reperirent boni quod imitarentur, nihil reperire possent improbi quod calunniarentur, ita tum in hisce tum reliquis omnibus Mantuani, seu prosa seu metro, excusis Operibus non coaevi solum adversarii, sed etiam eo posteriores, atque aevo insuper nostro viciniores, nec quod merito carperent critici homines haberent, nec nisi quod non improbandum magnis esset laudibus invenirent. Ac nobis profecto atque ingeniosis viris visum semper optimeque perspectum est, invidos atque exleges a ratione honestateque obloquentes adversus laudanda quaeque excellentium virorum facinora pessimo demum fato fuisse ita deiectos, ut neque propositum illorum perdendorum consilium, nisi forte ad tempus, fuerint unquam adsequuti, neque minus quidem eam prohibere potuerint laudis materiam, quae ex rebus praeclare sancteque peractis ad omnem futuri temporis aeternitatem solet dimanare, & gloriosa apud posteros recordatione vigere.

Quamquam easdem *Parthenices* fuisset auspicatus, quum Baptista ad tertium Vicarii Generalis regimen promotus de sua exultatione laetaretur, illas absolverat nondum tamen expleto Praefecturae munere; quinimo ab ipsis in lucem edendis temperasse constat ad annos usque multo posteriores, paulo antequam quater ipse prior Ordinis Antistes dici posset, anno videlicet MDI.; quae circum tempora lubens non ipsas dun-

duntaxat publici iuris facere sivit, verum etiam *D. Alberti* Carmelitae celeberrimi Vitam Carmine Saphico volumine est unico accuratissime complexus, unaque evulgavit.

Singulare autem planeque est admirandum, nonnisi robore atque ingenio coelitus in eum illapso tot tantaque absolvere brevi potuisse eaque calamo cudere feliciter, quorum eiusmodi est natura, ut, deficientibus otio & secessu adiutoribus, optima & expolita peritissimis in arte hominibus patere nequeant! Atqui eadem, tum aliquot simul quamplurima in omnium adspectum denique hos circum annos prodiere, quum Mantuanus multa atque ardua, quater iam suscepto Praefecturae suae munere, gesserat, ac gerenda deinceps alia disposuerat, quorum tamen cum poeticis aliarumque litterarum studiis facilis non est, nec fuit unquam prona communio.

Haec nihilominus circum tempora Aeglogas X, quas iterum nos in venustiorem adspectum inpraesens evulgare studuimus, publici iuris ipsum fecisse edocemur, semel ac tertium Praesidis Generalis regimen explesset, anno videlicet MCCCCXCVIII. quemadmodum a praehabita ad Paridem Caeresarium Epistola Nuncupatoria colligitur: quamquam Carmen istud Bucolicum styloque gracili exaratum, in Aeglogas tantum VIII. divisum, multo antea fuisset a Mantuano elucubratum, quum ipse iuniori aetate in Lycaeo Patavino degeret Philosophiae auditor; quod ludens, ut ibidem fatetur, excuderat, illudque propterea *Adolescentiam* inscripserat. Verum hos circiter annos quinquagenarius iamque canescens, praeteritorum laborum poenitens quodammodo, hoc ipsum a se, tanquam abortivum, libentissime reiecisset, nisi amicis una conspirantibus ut emendaret, emendatumque

que ederet iuvenilibus omnino detractis, in animum denique ipse induxisset. Itaque additis Aeglogis duabus haud amplius iniquo passus est animo huiusmodi Carmen typis iterum excusum universorum manibus conteri; quemadmodum ipsa ad Paridem suum Mantuanae Vrbis concivem Epistola luculenter hac ratione ratum habet: *Hoc igitur sic castigatum duabus aliis Aeglogis, quas in Religione lusi, in calce subiunctis, tibi, o Pari, iuvenis antiquae nobilitatis, & studiorum ac omnium bonarum artium amantissime, nostraeque Vrbis decus egregium, libentissime dono; ut quando tetricis illis Philosophiae ac Theologiae lucubrationibus, quibus assidue vacas, fatigatus fueris, habeas iucundulam hanc lectiunculam, qua, tanquam ludo quodam blandulo, sed liberali, lassum legendo reparetur ingenium*. Attamen Mantuano magnum quum afferret adhuc angorem praeteritorum recordatio, quieti consultum aliquantisper suae putat isthaec ibidem subiicere: *Omnes autem, penes quos immatura illa sunt Exemplaria, quae dixi, rogatos volo, ut si quid unquam fuit eis dulce meum, confestim exurant nec ullo pacto superesse permittant*. Geminae vero quae veteribus adiunctae demum sunt Aeglogae, postremum in locum amandatae leguntur, quarum una, IX. scilicet, depravatos carpit Romanae Curiae mores, a quibus integerrimus Vir fuerat incommodatus; altera autem, X. nempe atque extrema, quamquam Carmelitarum dissidia aliaque minoris momenti spectet, ut Lectori patefieri valet, egregiam tamen Poeta exhibet aeque in huiusmodi argumentum operam feliciter impensam, ac si de summis uberibusque rebus fuisset agendum; ut inde cuique constet Scriptoris nostri maior profecto praestantia, quod educere multa ipse nobilitatis decorisque ubique referta vel ab imis frigidisque, ut aiunt, facili stylo

va-

valuerit, quae alii fortassis e sublimi amplissimoque ad scribendum proposito haudquaquam protulissent. Iis itaque accessionibus atque emendationibus aucta Baptistae Mantuani tota demum Bucolica in lucem primo, quantum nosse licuit, est elata Coloniae anno MDXXXIII. cum Iodoci Badii Commentariis, quibus accesserunt Iohannis Murmellii in singulas Aeglogas Argumenta: qua nos Editione sumus usi, quum earum denuo evulgandarum consilium complere statuerimus. Harum autem ea est dignitas, ut tum drammatico genere tota constet, tum pastorale decorum sermonisque bucolici tenuitatem, teste eodem Badio, sollicite magis servatam exhibeat, quam in Marone animadvertere valeamus. Ea tamen Commentaria haud heic persequenda proferendaque duximus, quod, tametsi non adspernanda, magis tyronibus Latinae Linguae & poeticae phrasis ignaris congruant, quam eruditis optimeque isthaec callentibus accommodata videantur, in quorum potissimum gratiam Mantuani Poemata nuda prorsus edere multo consultius fore cogitavimus.

Quum Baptista itaque anno MDVII. Congregationi suae iterum antistare cogitur, praeter ea, quae nuper sunt commemorata, inter salebrosa publicae administrationis negocia magno etiam habentur in pretio quae heic subiici Carmina debent; quorum nonnulla a praestantissimo Scriptore sunt hisce temporibus excusa, reliqua fuere paulo deinde in commune commodum tradita, antequam supremum eius temporis regimen explevisset. Horum autem pauciora sunt elegiacis versibus, coetera mox afferenda haeroico metro confecta. Quae alterius sunt scribendi generis illud primum complectuntur, quod inscriptum legitur *Contra Poetas impudice scribentes*, tum alterum, cuius ita prae-

praefertur titulus, *De contemnenda Morte*; tum illud demum, quod *De Ieiunii Quadragesimalis Sanctitate* appellatur. Verum inter ea, quae haeroico stylo legenda prostant, principem sibi vendicat peritissimorum iudicio locum Carmen, quod ad Leonem X. Pont. Max. dedit Auctor Libris XII. comprehensum, *De Sacris Diebus* nuncupatum; cuius si metricum decorem maiestatemque laudaveris minus profecto est, quam si rerum altitudinem, & viro pio atque orthodoxo utilitatem uberrimam expendere aggrediaris.

Attamen quicumque res sacras, ac Divorum gesta carminum dulcedine linita veluti in deliciis habere maxime delectantur, non eadem tantum ut perlegat in singulos totius anni Sanctorum dies Volumina debet permoveri, verum singularia etiam hisce annis a Mantuano edita id genus Carmina deligant necesse est, quorum *In laudem D. Iohannis Baptistae* primum se offert, tum D. Blasii Episcopi & Martyr. Vita Libris tantum II. definita, cui titulus *Blasius Cappadox ad Reverendiss. D. Laurentium Putium Card SS. Quatuor Coronatorum*; tum demum simile aliud Libris IV. conclusum de D. Nicholao Tolentinate ad Io. Tolentinatem Equitem Auratum, quod *Nicolaus Tolentinas* inscribi patuit.

Praestantiora autem, quae haeroice lucubrata a Mantuano sunt Carmina; quorum aliud fuit a rebus sacris scribendi consilium, heic complectamur necesse est; quamquam alia non pauca silentio a nobis sint praetereunda, quae Tomis IV. maximis Antuerpiae anno MDLXXVI. collecta prodiere. Illorum propterea multiplex copia, cuius heic mentio obiter est agenda, ea primum spectat Argumenta, quae indicato nuper metro ad quamplurimos singillatim illustres Viros retulit Poeta disertissimus, iisque *Sylvarum* haud inconsulto appellationem affixit, quas Libris VIII. definivit.

Ha-

Harum aliquot deinde seiunctae prodiere in lucem anno MDVII. typis Parisiensibus cum Iodoci Badii Ascensii Commentariis, quae propositam Carminum materiam concinne satis illustrant.

Reliqua vero id genus Mantuani Poemata res plerumque bellicas sunt complexa; cuiusmodi fuere: De Victoria Granatae Libri VI., qui inscripti cernuntur *Alphonsus*, ad Dom. Condisalvum Archiepiscopum Tarraconensem; tum aliud *Trophaeum pro Gallis expulsis Libri V.* ad Dom. Franciscum Gonzagam Mantuae Marchionem; atque alterum etiam, cui titulus *Exhortatio ad Insubres & Ligures*, ad Amplifs. Virum Iafredum Carolum Militem; Vice-Cancellarium & Delphinatus Praesidem; ut scribere praetermittamus *De Bello Veneto* huiusque Carminis praestantia, quod Auctori ipsi anno MDIX., quum edere constituit, Commentariolum libuit appellare.

Coetera hos circum annos versibus aeque haeroicis sunt elucubrata; scilicet *De Fortuna* praelo Bononiensi anno MDIX.; tum Carmen alterum, quod inscriptum ita prodiit: *Agelariorum Libri VI.* ad Consalvum Ferdinandum Agelarium Ducem: atque utraque isthaec coniicere facile possumus, extrema fuisse ingenii monimenta, quae Mantuanus reliquerit antequam ex huius vitae luce decederet; nisi forte velimus bene opinari, post eius obitum inventa plura fuisse nondum edita, quae deinde Operum omnium Collectores in unum veluti Corpus diligentissime coegerint.

Quamquam aetatis suae nonnisi sexagesimum quintum attigisset anno publicae salutis MDXIII., contra ac suasissent detritae iam nimium perpetuis studiorum laboribus Baptistae vires, cum nihilominus Patres Comitiis congregati in principem sui Ordinis Praesidem sexto eligere decreverunt; cuius tamen onerosam

Praefecturam ubi primum ferre aequanimiter fuerat adgressus, inopinatis ad ipsum perlatis nunciis certior est factus, se Romae unanimi Patrum Carmelitarum suffragio Priorem Generalem, atque iuxta Generalium Latinorum, ut aiebant, seriem XXIX., universi Ordinis fuisse renunciatum. Ob insperatam rei gestae narrationem, quamquam dubitare Mantuanus consulto nequiret, eius tamen caussam nonnisi anceps atque irrequietus contemplari posse testabatur: verum ipsi quamprimum repetitis creberrime epistolis certo constitit, haud alio fuisse Patres, ut in se vota coniicerent, consilio permotos, quam Ordini amplissimo integerrimi Viri opera ut optime ideo prospicerent, quod illi deesse multa pervidissent, quae unius Mantuani sapientia, existimatione, morumque sanctimonia mirum in modum possent tempestive conciliari, communi protinus cessit libenter voluntati, ratus se non privato sui placito, sed publicae D. O. M. sanctioni quodammodo fore obtemperandum, cuius latentibus consiliis quaecumque gesta recens fuerant accepto evidentissime referenda esse videbantur.

Itaque Mantuanus Romam profecturus dum iter maturare disponit multa secum imis revolvit animis, quonam potissimum mentis virtutumque suarum conatu Ordinem Carmelitarum universum sapientiae altioris legibus, morumque meliorum disciplinis posset devincire; ne fortassis prudentissimorum Virorum votis, qui propterea instinctu veluti coelitus illapso ad ipsum mirifice deligendum fuerant excitati, contradiceret: quae quidem multo operosiora fiunt, posteaquam imperii summam per aliquot menses fuerat ipse accuratissime expertus. Eo autem se prospero ductu pertingere posse quum meditaretur; si ita nimirum exercitatus ut in dicendo, ut facultate sua Deique adiu-

to.

torio fretus nihil ſibi difficile atque arduum putet, tum ſi rerum divinarum humanarumque ſcientia adeo fultus ſit beneque munitus, ut nullo errore praeoccupatus negociorum graviſſimorum momenta ſatis acute atque intelligenter perſpicere valeat ac diiudicare; in magnum proinde tanti tamque difficilis regiminis diſcrimen alacer ſemet coniicere non dubitavit.

Quidquid vitii Ordine in toto prudentiſſimus Moderator e ſuprema veluti Dignitatis ſuae ſpecula ineſſe iam fuerat contemplatus; quod tamen maximum haud eſſe, neque formidandum reipſa noverat; appoſitis primum medelis curandum fore duxit, deinde qua via & ratione tantum eſſet opus feliciter abſolvendum tacitus animadvertit. Eius eſſe naturae morbificum illius Corporis ſtatum continuo ipſe pervidit, ut cum eo bene agi cogitaret, ſi ſenſim eidem priſtinam firmitatem procuraret; eorum prudentum medicorum ſaluberrimum imitatus morem, qui e quibuſdam male affectis corporibus depravatos ſolent humores paulatim educere, ne ſi ſemel univerſos exhaurire voluerint, quos ſervare ſatagunt, demum interimant: eos autem adiutores praecipue accivit ſui Ordinis viros, quos rerum gerendarum uſu ac dexteritate peritiores eſſe perſpexit, ipſiſque propterea inniti tantopere voluit, ut ſibi nihil altioris momenti abſque ſapientum conſiliis decernere aut aggredi unquam libuerit, neque aliquid ullo tempore vel exiguum periclitari ſua duntaxat voluntate permiſerit. Hoſce vero tantum ſtrenuitate virtutum egregios, negociis adminiſtrandis idoneos, praeſtanteſque reperit, ut ſibi mirum fore ſaepenumero videretur exiſtere infra Ordinem invictos adeo homines, qui ſibi gloriae atque aemulationi verterent ad propulſanda monaſticae Reipublicae incommoda cum Antiſtite foederari potius, quam cum delin-

 quen-

quentibus inire societatem; in quos potissimum Mantuani ardor, summa tamen cum moderatione ac aequanimitate, ferebatur.

Quum haec secunda fortuna a Mantuano Carmelitarum omnium bono peragi cernuntur, asperrimum ab animo ipse angorem depellere lenimine ullo non poterat, uno solum typographorum vitio a se edita Opera, plerumque mendis foedata adeo turpibus inter eruditorum manus versari, ut pene ipsemet eorum Scriptor quae vere non minus quam concinne illa proderent, haud amplius intelligere videretur. Temporum eorum conditionem maximopere dolebat, quum omnes, prae artis typographicae inventione nuper nacta, singularem in modum gestientes nihil ad se pertinere quodammodo arbitrarentur, sive ortographiam farctam ut fas esset custodire, sive dictiones plane proscindere, sive alienas plane voces invehere, sive quippiam aliud pro lubito infercire, dummodo e praelo quodlibet facilius multo possent depromere in lucem, quam fuisset ad eos usque annos amanuensium laborem ad MSS. Opera amplificanda adhibere: quibus licet omnibus propterea Baptista ignoscendum existimaret, non ideo intolerabili tamen hominum arte ipsa abutentium ignaviae parcendum aiebat, quod errorum emendationi semel iterumque a se propositae ulla noluissent ratione obtemperare. Inde arguat merito quisquis hisce legendis velit interesse, nos quantum niti diligentia & labore debuerimus, qui *Parthenicem* cumprimis iterum edituri eorundem temporum exemplaria innumeris ferme vitiis scatentia coacti fuerimus ob oculos ponere, eaque ad germanam lectionem referre: quam profecto sedulitatem pari pollicemur studio in reliquis custodire Mantuani Operibus, quae a nobis erunt deinceps edenda, si ab huiusce Voluminis primo veluti spe-

ſpecimine rem nos feciſſe gratiſſimam eruditis poterimus quoquomodo dignoſcere.

Nondum ſupremae gubernationi praeſinitum tempus expleverat Baptiſta noſter, quum ſponte ipſe praeſtantiſſimum munus ſtatuit abdicare, quin ulla levitatis aut incoſtantiae ratione ſe actum oſtenderet: quinimo ad id efficiendum multa gravioris momenti praeceſſiſſe quibuſcumque ab eo ſciſcitantibus identidem affirmaret, reſponderetque; quorum tamen nihil magis, pro eius ſagacitate, eſt patefactum. Huiuſce abdicationis autem res a Mantuano extemplo geſta non minus omnes idcirco ſtupore ingenti complevit, quam repentinus eius Roma diſceſſus, atque in patriam Vrbem emigrationis feſtinatio in ancipiti univerſos, tum Carmelitas, tum in magna Vrbe praeſtantiores nobilioreſque Viros, reliquit.

In magna itaque, ob ſubitum Mantuani conſilium, bonorum omnium admiratione quotquot ipſo imperante Carmelitarum Ordinem mirabiliter confirmatum atque ſimul illuſtratum iri ſperabant, ſibi nihilominus blandiebantur, Praeſulem nondum Roma profectum vehementiſſimis ſuaſionibus enixiſque precibus a coepta deliberatione flecti potuiſſe, ac poſtremo revocari; atque omnem proinde conatum adhibendum curarunt, ut ſibi pro eorum votis vires impenſae reſponderent: at contra plerique e toto Ordine Fratres, quorum animus ſive ad liberiorem vitae rationem, ſive ad effraenem capeſſendorum munerum explendum ambitum fuerat iamdudum propenſior, quibus coeteroquin Mantuanus ſemper obſtiterat, nonniſi hilari facillimaque voluntate inopinatam ſupremae dignitatis dimiſſionem exceperant, utpote quae eorum genio eſſet penitus accommodata. Attamen Baptiſta laudandis illorum ſtudiis voluit nunquam acquieſcere, quod multa tacitis

co-

cogitationibus praesentia volutaret, ac futura etiam praenosceret, ob quae sibi ab imposito regimine extemplo recedendum prudentissime arbitraretur; ac tum demum gravissimis coniecturis cognitum est, nonnisi ab improborum technis profectum vere fuisse, cur satius Vir praestantissimus duxerit eorum perversitati litare, ne deteriora fortasse contingerent, quam contra flagitiosos homines impavidam eius mentem educere. Re autem ipsa Mantuanus optime noverat, existere cumprimis infra Ordinem nonnullos, qui rerum omnium potiri per fas nefasque praesumentes iniquo tulerant animo, extorrem eorum iudicio a Carmelitarum Republica hominem in summam eius gubernationem adscitum, qui eidem ad meliores morum probatissimorum leges informandae reformandaeque operam admovere voluisset, ac multa in tota qua late patebat Fratrum dominatione sufficere, quae eorundem vitiis nullatenus eaquarentur.

Quamprimum Baptista Mantuam concesserat, publicis curis omnino solutus rerum divinarum studiis solertius ferventiusque navare operam eo consilio est aggressus, ut ad obitum sanctissime explendum semet compararet; qua in deliberatione declaravit invictissimus Vir, nunquam desidem eam atque ignavam esse virtutem, quae a teneris annis ad maturiorem usque aetatem adoleverat; nullus ei esse a praeclaris actionibus ferias, quamquam a gravioribus laboribus cessasse videretur; fortes & constantes Viros honestorum facinorum ac munerum perfunctione non ad tranquillitatem invitari, sed ad extrema e superioribus gestis assidue suscipienda incitari.

Nondum unius anni spacium a reditu facto fuerat elapsum, quum ob exhantlatos superioris vitae diuturnos labores in senescenti sexaginta & octo anno-

rum

rum aetate a lento coepit morbo viribus pene omnibus primum consternari, eoque paulo post ingravescente extremum sibi agonem imminere continuo persensit. Eadem, qua retroacto vite tempore se laudabiliter gesserat, religione, iustitia, patientia, animique demissione, aequabili demum mentis orisque serenitate diem clausit extremum XII. Kalend. Aprilis, Feria Quinta in Coena Domini, Anno MDXVI. Eius deinde funus ingens omnium ordinum multitudo, ac Viri potissimum docti, laudationibus, questubus, atque omnigena celebritate sunt prosequuti.

Tanti autem Viri de litteris expolitioribus deque gestorum sanctimonia optime meriti recordationem post plures ab eius interitu elapsos saeculos si postules, non ea tantum occurret, quae a prestantissimis elucubrationibus manare solet ad omnem futuri temporis aeternitatem praeclara atque gloriosa, verum ea insuper se cuipiam facile offeret, quae a *Divorum* publico cultu & Mantuanae Vrbis veneratione a longissimis petita temporibus ad aevum usque nostrum in venustissima etiam Cadaveris incorruptione perseverat.

BAPTISTAE MANTVANI

AEGLOGA PRIMA.

ARGVMENTVM.

Antiquos repeti vult Fortunatus amores;
Obſequitur Fauſtus, referens connubia laeta.

INTERLOQVVTORES.
FAVSTVS, ET FORTVNATVS.

FORTVNATVS.

FAuſte precor, gelida quando pecus omne ſub umbra
Ruminat, antiquos paulum recitemus amores:
Ne, ſi forte ſopor nos occupet, ulla ferarum,
Quae modo per ſegetes tacite inſidiantur adultas,
Saeviat in pecudes: melior vigilantia ſomno.

FAVSTVS.

Hic locus, haec eadem, ſub qua requieſcimus, arbor
Scit quibus ingemui curis, quibus ignibus arſi
Ante duos, vel (ni memini male) quatuor annos.
Sed tibi quando vacat, quando eſt iucunda relatu,
Hiſtoriam, prima repetens ab origine, pandam.
Hic ego, dum ſequerer primis armenta ſub annis,
Veſte ſolo ſtrata, ſedi iacuique ſupinus;
Cum gemitu & lachrymis mea triſtia fata revolvens:

Nulla quies mihi dulcis erat, nullus labor aegro
Pectore; ſenſus iners, & mens torpore ſepulta.
Vt ſtomachus languentis erat, quem nulla ciborum
Blandimenta movent, quem nulla invitat orexis:
Carminis occiderat ſtudium, iam nulla ſonabat
Fiſtula diſparibus calamis: odioſus & arcus;
Funda odioſa, canes odioſi, odioſa volucrum
Praeda: nucum calices cultro enucleare moleſtum;
Texere fiſcellam iunco, vel vimine piſcem
Fallere, ſcrutari nidos, certare paleſtra,
Sortiri digitis res iniucunda; voluptas
Magna prius, tanti dum mens erat inſcia morbi;
Colligere agreſtas uvas, & fraga peroſus.
Moerebam, ut paſtu rediens philomela, cibumque
Ore ferens natis, vacuo ſua pignora nido
Cum ſublata videt, roſtro cadit eſca remiſſo,
Cor ſtupet, & contra nidos ſuper arboris altae
Fronde ſedet plorans infoelices hymenaeos:
Seu veluti amiſſo partu formoſa iuvenca,
Quae, poſtquam latos altis mugitibus agros
Complevit, reſidens pallenti ſola ſub umbra,
Gramina non carpit, nec fluminis attrahit undam:
Sed quid circuitu pario tibi taedia longa?
Dum ſequor ambages, & verba & tempora perdo:
Summa haec; vitales auras invitus agebam.
Quod ſi forte volens cognoſcere ſingula, dicam.

FORTVNATVS.

Fauſte, quis in ſyrtes auſter te impegarat iſtas?

FAVSTVS.

Me mea (verum etenim tibi Fortunate fatebor)
Me mea Galla ſuo ſic circumvenerat ore,
Vt captam pedicis circundat aranea muſcam;
Nam-

Namque erat ore rubens, & pleno turgida vultu:
Et quamvis oculo pene esset inutilis uno;
Quum tamen illius faciem mirabar & annos,
Dicebam triviae formam nihil esse Dianae.

FORTVNATVS.

Ludit amor sensus, oculos praestringit, & aufert
Libertatem animi, & mira nos fascinat arte.
Credo aliquis daemon, subiens praecordia, flammam
Concitet, & raptam tollat de cardine mentem.
Nec Deus (ut perhibent) amor est, sed amaror & error.

FAVSTVS.

Adde, quod optatis nec spes erat ulla potiri,
Quamvis illa meo miserata faveret amori,
Monstraretque suos oculis, ac nutibus ignes:
Nam quocumque isset, semper comes aspera, semper
Nupta sequebatur soror, & durissima mater;
Sicque repugnabant votis contraria vota.
Non secus ac muri catus; ille invadere peraam
Nititur, hic rimas oculis observat acutis.

FORTVNATVS.

Qui satur est, pleno laudat ieiunia ventre;
Et quem nulla premit sitis, est sitientibus asper.

FAVSTVS.

Tempus erat curva segetes incidere falce,
Et late albebant flaventibus hordea culmis:
Adfuit (ut mos est) natis comitata duabus,
Collectura pares, quae praeterit hordea messor;
Ignorabat enim vel dissimulabat amorem:
Dissimulasse puto, quoniam data munera natae
Noverat; exiguum leporem, geminasque palumbes.

FORTVNATVS.

Pauperies inimica bonis eſt moribus; omne
Labitur in vitium, culpae ſcelerumque miniſtra eſt.

FAVSTVS.

Farra legens, ibat mea per veſtigia virgo;
Nuda pedem, diſcincta ſinum, ſpoliata lacertos,
Vt decet aeſtatem, quae ſolibus ardet iniquis;
Tecta caput fronde intorta, quia ſole peruſta,
Fuſca fit, & voto facies non ſervit amantum.
Iam tergo vicina meo, laterique propinqua,
Sponte mea delapſa manu frumenta legebat,
Nec celare ſuas, nec vincere foemina curas,
Nec differre poteſt; tantum levitatis in illa eſt.

FORTVNATVS.

Quiſquis amat, levis eſt: nec foemina ſola, ſed ipſi,
Quos ſapere, & praeſtare aliis mortalibus aiunt;
Quos operit latus fulgenti murice clavus;
Quos vidi elatos regali incedere paſſu:
Tu quoque ſic affectus, eras dementior illa;
Forſitan & levior virgo data farra legebat.
At tu farra dabas; dic quae dementia maior?
Perge, opus eſt verbis aliquando arcere ſoporem.

FAVSTVS.

Continuo aſpiciens aegre tulit aſpera mater;
Et clamans, quo (dixit) abis? quo deſeris agmen?
Galla veni: namque hic alnos prope mitior umbra;
Hic tremulas inter frondes immurmurat aura.
Oh inviſa meis vox auribus, (ita praecabar)
Ite, malam venti celeres diſpergite vocem!
Si quis paſtor oves ad pinguia paſcua ducat,

Et vetet adductas praesens decerpere gramen;
Vel si iam pastas potum compescat ad amnem,
Et sitibundo ori salientem deneget undam;
Nonne importunus naturae inimicus, & excors?
Illa mihi vox visa Iovis violentior ira,
Quum tonat, & pluvius terris irascitur aer.
Non potui, & volui frontem non flectere; virgo
Demissi in cilium de sub velaminis ora
Me aspiciens, motis blande subrisit ocellis.
Id cernens iterum, natam vocat improba mater.
Galla operi magis intendens audire recusat;
Vt pede, sic animo sequitur: tum providus ipse
(Namque dolos inspirat amor, fraudesque ministrat)
Nunc cantu, nunc sollicitans clamore metentes,
Velamenta dabam sceleri, quo credere possent,
Et soror, & mater, non audivisse puellam;
Falce repellebam sentes, ne crura sequentis
Levia, ne teneras ausint offendere plantas.

FORTVNATVS.

Quisquis amat, servit, sequitur captivus amantem,
Fert domita cervice iugum, fert verbera tergo
Dulcia, fert stimulos, trahit & bovis instar aratrum.

FAVSTVS.

Tu quoque, ut hinc video, non es ignarus amorum.

FORTVNATVS.

Id commune malum, semel insanivimus omnes.

FAVSTVS.

Hoc animi tam triste bonum, tam dulce venenum.
Quotidie crudele magis crescebat in horas;
Vt calor in nonam dum lux attollitur horam.

Pal-

Pallebam attonito similis, lymphaticus, amens,
Immemor, insomnis: nec erat res ardua morbi
Nosse genus; frons est animi mutabilis index.
Vt pater advertit, mitem se praebuit ultra
Consuetum; quod & ipse suos expertus, amorum
Sciret onus, blandoque loquens humaniter ore;
Dic, inquit, dic Fauste, quid hoc quod pectore volvis?
Infelix puer, haec facies testatur amorem!
Dic mihi, ne pudeat curas aperire parenti.

FORTVNATVS.

Sit licet in natos facies austera parentum;
Aequa tamen semper mens est, & amica voluntas.

FAVSTVS.

Vt facilem pater affectum praesetulit, ultro
Rem confessus, opem petii; promisit, & ante
Quam brumale gelu borealibus arva pruinis
Spargeret, agnati unanimes cum patre puellam
Despondere mihi: nec adhuc sine testibus illi
Congrediebar; eram medio sitibundus in amne
Tantalus: oh quoties misso cum bobus aratro,
Vt vacuis aliquando esset sola aedibus, ibam!
Omnia causabar, stivam, dentale, iugumque,
Lora iugi, rullam: deerant quaecumque petebam
E soceri lare; sola tamen deerat mihi virgo.
Non deeram mihi: piscator, venator, & auceps,
Factus eram; & solers studia intermissa resumpsi.
Quicquid erat praedae, quicquid fortuna tulisset,
Ad soceros ibat; gener officiosus habebar.
Nocte semel media subeuntem limina furtim
(Sic etenim pactus fueram cum virgine) furem
Esse rati, invasere canes; ego protinus altam
Transiliens sepem, vix ora latrantia fugi.

His

His tandem ſtudiis hyemem tranſegimus illam:
Ver rediit, iam ſylva viret; iam vinea frondet;
Iam ſpicata ceres; iam cogitat hordea meſſor:
Splendidulis iam nocte volant lampyrides alis.
Ecce dies genialis adeſt, mihi ducitur uxor.
Sed quid opus multis? Nox expectata duobus
Venit, & in portum vento ratis acta ſecundo eſt.
Tum bove mactato, gemina convivia luce
Sub patula, inſtructis celebravimus arbore menſis.
Adfuit Oenophilus, multoque ſolutus Iaccho,
Tempeſtiva dedit toti ſpectacula vico,
Et cum multifori Tonius, cui tibia, buxo.
Tandem poſt epulas & pocula multicolorem
Ventriculum ſumpſit, buccaſque inflare rubentes
Incipiens, oculos aperit, ciliiſque levatis,
Multotienſque altis flatu a pulmonibus hauſto,
Vtrem implet, cubito vocem dat tibia preſſo:
Nunc huc nunc illuc digito ſaliente, vocavit
Pinguibus a menſis iuvenes, ad compita cantu
Saltidico, dulcique diem certamine clauſit.
Et iam tres hyemes abiere, & proximat aeſtas
Quarta: dies rapidis (ſiqua eſt bona) praeterit horis:
Si qua placent, abeunt; inimica tenacius haerent.

FORTVNATVS.

Fauſte vide'n vicina pecus vineta ſubintrat?
Iam (ne forte gravi mulcta taxemur) eundum eſt.

AEGLO-

AEGLOGA SECVNDA.

ARGVMENTVM.

Quae Padus exundans tulerit dispendia primum;
Insanum memorat mox Fortunatus Amyntam.

INTERLOQVVTORES.
FAVSTVS, ET FORTVNATVS.

FAVSTVS.

CVr tam serus ades? quid te (iam septima lux est)
Detinuit? gregibus ne nocent haec pascua vestris?

FORTVNATVS.

Fauste, Padus, nostros qui praeterlabitur agros,
Creverat, & tumidis ripas aequaverat undis.
Nos, cura gregis omissa, privata coegit
Publicaque utilitas ripam munire diurnis
Nocturnisque operis, fluviumque arcere furentem.

FAVSTVS.

Fert Padus exundans mala saepius omina; noster
Tityrus est auctor, qui pascua dixit, & arva.

FORTVNATVS.

Forsitan id verum, quando extra tempora, & ultra
Men-

Menſuram, atque modum ſubito concreverit aeſtu:
Nunc autem id poſcit tempus; nam liquitur altis
Nix hyberna iugis, implent cava flumina montes:
Se exonerant, fluvioſque onerant; ſic flumina rurſum
Se exonerant pelaguſque onerant: hominum quoque mos eſt,
Quae nos cumque premunt, alieno imponere tergo;
Sed iam contractum revocat ſuus alveus amnem.

FAVSTVS.

Decreſcente Pado (dictu mirabile) noſter,
Fortunate, lacus maiorib s aeſtuat undis.
Vrbs natat, obſcurae fiunt cellaria foſſae,
Lyntre cados adeunt; labens ad vina miniſter
Ridet, & ex imis fertur gravis obba lacunis.
Multa (licet nati fuerint melioribus horis)
Multa, & magna ferunt aliquando incommoda cives.

FORTVNATVS.

Commoditas omnis ſua fert incommoda ſecum;
Et forti appendix eſt illaetabilis omni.

FAVSTVS.

Hactenus Eridanus. Noſtros repetamus amores:
Quandoquidem nunc alma Venus movet omnia, coelum
Luce tepet, nitida tellus viret, arva volucres
Cantibus exhilarant vernis, nunc omnia foetant.

FORTVNATVS.

Tu tua luſiſti, ſed nos aliena ſequamur:
Namque tibi noti referam paſtoris amores,
Vt doceam Veneris nihil eſſe potentius igne.
Pauper, & infeſto ſub ſydere natus Amyntas,
Sex vitulos, totidemque pares aetate iuvencas,
Armentique patrem ducens in paſcua taurum,

Venerat ad Coitum, nitidus ubi Myntius undis
Alluit herbosos fugiens perniciter agros,
Arx nova propter aquas, pinnatis ardua muris
Est Coitus, campo moles fundata palustri.
Hic igitur recubans, vitrei prope fluminis undam;
Vitis ubi amplectens longis dumeta lacertis,
In vada curvata ripae supereminet umbra;
Piscibus insidias tendebat harundine, & hamo.
Messis erat, solis rapide violentia adustos
Prociderat campos; finem philomela canendi
Fecerat, & neque lux, passim morientibus herbis,
Pascere oves poterat, neque nox humore cicadas.
Dumque incumbit aquis, studioque intendit inani,
Taurus (ut auditum est) primum vexatus ab oestro,
Mox canibus demum furaci a milite sylvis
Abditus, ex toto confestim evanuit agro.
Quod puer ut novit, tumulum conscendit, & alta
Voce bovem clamans, longa rura omnia visu
Prospicit: ut frustra nisi se comperit, arcum
Corripit, & pharetram, sequiturque per invia taurum,
Illum per caulas, & per stabula omnia quaerens,
Per colles, Benace, tuos, per consita olivis
Iugera, per virides ficis & vitibus agros.
Venerat ad sublime iugum, quod sulphuris arcem
Sustinet, & longis aperit prospectibus illinc
Benacum, hinc campos longe lateque patentes:
Lux ea sacra fuit Petro, frondente sub ulmo,
Mixta erat ex omni pubes post prandia vico,
Ducebatque leves buxo resonante choreas.

FAVSTVS.

Rustica gens nulla genus arte domabile, semper
Irrequietum animal gaudet, sudore peracto
Mane sacro, festa (quando omnibus ocia) luce
Ipsa,

Ipſa, oci ac famis impatiens epulatur, & implet
Ingluviem, audito properat tibicine ad ulmum:
Hic furit, hic ſaltu fertur bovis inſtar ad auras:
Quam raſtris verſare nefas, & vomere, terram
Calcibus obduris, & inerti mole fatigat,
Ac ferit, & tota Baccho facit orgia luce,
Vociferans, ridens, ſaliens, & pocula ſiccans.

FORTVNATVS.

Stulte quid haec faris? ſolatia ruſtica damnas
Ruſticus ipſe, tuis malus es, tibi peſſimus ipſi.

FAVSTVS.

Dicta ioco fuerint; noſtrum repetamus Amyntam.

FORTVNATVS.

Continuit greſſum, baculoque innixus acervo
Intermiſit iter, donec miteſceret aeſtus.
Ah puer infelix, aeſtus te maior in umbra
Corripiet: nudam videas ne in fonte Dianam
Claude oculos; blandis neu des ſyrenibus aurem!
Sors tua Narciſſo ſimilis: Narciſſus in undis
Dum ſedare ſitim properat, ſitit amplius; at tu
Exteriorem aeſtum fugiens, intrinſecus ardes.
Quam melius fuerat, niſi te ſic fata tuliſſent,
Ad reliquum rediiſſe pecus, ſervaſſe iuvencas,
Amiſſi bovis aequo animo diſpendia ferre,
Quam, dum conaris nil perdere, perdere teipſum!

FAVSTVS.

Sed poſt iacturam quis non ſapit? utile non eſt
Conſilium poſt facta dari, quod oportuit ante:
Conſilium, poſt facta, imber poſt tempora frugum.

FORTVNATVS.

Vna puellares inter pulcherrima turmas
Virgo erat, alba comas, aliis procerior, annos
Nata quater quinos vel circiter, ore nitenti,
Vrbanis certare potens, & vincere nymphis,
Aureolis radians guttis; ad tempora limbus
Ibat, & ad pectus clausum velamen aheno
Claviculo, mediam fulgenti fibula ferro
Stringit in angustum, nova candicat instita lapsu
Linea rugoso, pedibusque allabitur imis.
Hanc puer ut vidit, periit, flammasque tuendo
Hausit, & in pectus caecos absorbuit ignes;
Ignes, qui nec aquis perimi potuere, nec imbris
Diminui, neque graminibus, magicisve susurris;
Oblitusque greges, & damna domestica, totus
Vritur, & noctes in luctum expendit amaras.
Saepe gravescentem verbis compescere flammam
Nisus, & insanum iuvenis cohibere furorem,
Dicebam; miserande puer, qui te Deus istas
Misit in ambages? sed non Deus, imo Satanus
Pessimus, ex illis, quos noctibus atque diebus
Ter tribus in terras fama est ex aethere lapsos.
Dic age, si nosti quemquam? reminiscere, si quem
Videris hoc pacto ditescere? surgere in altum?
Dilatare domum? maioribus horrea acervis
Complere his studiis? extendere latius agros?
Multiplicare greges, acquirere pascua bobus?
Inter tot populos, quos habet latissima tellus,
Sunt qui nostra ferant mensis epulanda cruentis,
Corpora, & humanos absumant dentibus artus;
Sunt inquam, quos tanta malis tot vexet Erinnys:
Sed nullum est tam immane genus, tam barbara nusquam
Gens, quae foemineos non execretur amores.

Hinc

Hinc veniunt rixae, veniunt & iurgia, & arma;
Saepe etiam dirae multo cum ſanguine mortes;
Hinc quoque deletis everſae moenibus urbes:
Ipſae etiam leges, rubriſque volumina loris
Clauſa, vetant ſcelus hoc, & deteſtantur amores.
Vt leges audivit, ad haec reſpondit Amyntas.
(Civis enim fuerat puer, & verſatus in urbe)
His monitis prudens, & circumſpectus haberi
Niteris, & ſenſu tetricos anteire Catones!
Error hic, haec paſſim ſapiens dementia regnat.
Ipſe ſibi blanditur homo, ſolerſque putari
Vult animal; tamen incautus ſibi multa tetendit
Retia, & in foveam cecidit, quam fecerat: ante
Liber erat, ſervile iugum ſibi condidit ipſe,
Pondus, id eſt, legum (vidi ipſe volumina) quas nec
Antiqui potuere patres, nec poſſumus ipſi,
Nec ſervare aetas poterit ventura nepotum.
Aſpice quam ſtulta eſt hominum prudentia! caelum
Sperat, & eſſe ſibi ſedem inter ſydera credit:
Forſitan in volucrem moriens tranſibit, & altum
Spiritus aſſumptis tranabit ad aethera pennis.
Tunc ego quid latras? legum Deus auctor; & ipſis
Non parere, ſapit magnam nimis impietatem.

FAVSTVS.

Grandia de magnis haec ſunt certamina rebus.

FORTVNATVS.

Quid fuerim reris, quamvis pannoſus & aſper
Sim modo, tunc animo, tunc vi, tunc ore valebam;
Nec mihi ſeſe alius poterat componere paſtor.

FAVSTVS.

Nunc quoque ſi rectus vultu gradiare ſupino,
Alter eris Marius, raſo ore videbere Carbo.

FOR-

FORTVNATVS.

Talia respondit, sic obiurgatus Amyntas:
Facto homini Deus invidit, concessa voluptas
Visa bonum nimis excellens, & vota repressit
Legibus inventis, ut equi ligat ora capistro,
Ne quocunque libet flectat vestigia, sessor.
Quae mea sit, me cogit amor, sententia fari,
Liberaque ora facit: qui non communicat usum
Coniugis, invidus est. Livorem excusat honestas,
Introducta usu longi livoris iniquo;
Nam dum quisque sibi retinet sua gaudia, nec vult
Publica, communis mos ac longaevus honestas
Factus; & hunc morem fecit dementia legem.
Invida res amor est, res invidiosa voluptas.
Tunc ego, non audens hominem contendere contra
Amplius, insano rediens ab amante recessi.

FAVSTVS.

Cernis, ut hic malus affectus sic lumina mentis
Claudat, in errores ut sponte feramur apertos?

FORTVNATVS.

Cernis, ut a summo liventia nubila Baldo
Se agglomerent? oritur grando, ne forte vagantes
Tempestas deprehendat oves, discedere tempus.

AEGLO-

AEGLOGA TERTIA.

ARGVMENTVM.

Agricolae duram sortem, miserique furores,
Fortunatus, & exitium deplorat Amyntae.

INTERLOQVVTORES.
FAVSTVS, ET FORTVNATVS.

FAVSTVS.

ILla hesterna ruens Baldi de vertice grando,
Fortunate! fuit nobis innoxia; Divis
Gratia; nostrarum quibus est custodia frugum.
Sed veluti ex illis veniens ait Harculis oris,
Veronensem agrum pecudes, & ovilia sic est
Demolita, casas & pastoralia tecta;
Sic evertit, ut agricolis spes nulla supersit.
Agricolis etenim pecus est, substantia, & arva
His subiecta malis: grandis thesaurus in arca
Civibus est, quem nulla queat contondere grando,
Nulla pruina, gelu nullum, nullae aeris irae.
Nescio quis ventos, tempestatesque gubernat:
Id scio, sed neque si scio, sat scio, sed tamen ausim
Dicere; quid? vita ne ideo mulctabor in ipsa?
Numina si, ut perhibent, orbem moderantur ab alto,
Extimo nil duros hominum curare labores.
Aspice, quo tenuem victum sudore paramus,

Quot

Quot mala pro grege, pro natis, coniuge paſtor
Fert miſer, infeſtis aeſtate caloribus ardet,
Frigoribus riget hibernis, dormimus ad imbrem
Cotibus in duris, vel humi; contagia mille,
Mille premunt morbi pecudes, diſcrimina mille
Sollicitant, latro inſidias intentat ovili,
Atque lupus, mileſque lupo furacior omni:
Vt manus aſſiduo detrita incalluit uſu,
Squalluit os, barba obriguit, cutis aruit aeſtu,
Vna repentino rapit omnia turbine grando.

FORTVNATVS.

Hoc ſuperi faciunt, quibus inclinamur ad aras,
Et quibus offerimus faculas, & caerea vota:
Neſcio quae pietas, & quae clementia tantis
Cladibus involvat paſtores omnium egenos.

FAVSTVS.

Fortunate, ſcelus nobis haec omnia noſtrum
Ingerit, aetherei ſententia iudicis aequa eſt.

FORTVNATVS.

Quod ſcelus? an fuimus Chriſti vitae inſidiati?

FAVSTVS.

Iurgia, furta, irae, Venus, & mendacia, rixae.

FORTVNATVS.

Quid meruere boni? nec enim ſcelus obruit omnes;
Et tamen una omnes pariter peſſundat erinnys.

FAVSTVS.

Heu neſcis, male de ſuperis ſentire nefandum?
His igitur, quae ſcire nefas, neſcire neceſſe eſt,
Poſt-

Posthabitis, curas iterum repetamus Amyntae,
Quas sumus experti, quas ignorare negatum est.
Res vulgaris amor, studium commune iuventae.

FORTVNATVS.

Moeror, & affectus alii de cardine mentem
Saepe levant, animo sermo venit aeger ab aegro.

FAVSTVS.

Intellecta licet pro re, pro tempore fari,
(Sic habitus Cosmas sapiens) incognita numquam.

FORTVNATVS.

Fauste sapis; notos igitur repetamur amores.
Restat Amynteos postrema in fata furores
Dicere, & in misero lachrymas impendere casu.
Praeteriens illac parvo post tempore, rursum
Insanire hominem video, & miseratus amantem;
Oh iterum, dixi, mens inconsulta, veneno
Ebria fatali! populo iam fabula factus.
Non resipiscis adhuc? & adhuc in amore sepultus?
Te tuis, atque tuos, pecus, atque mapalia tecum;
Vt quondam moriens rapuit secum omnia Sampson.
Quum senio curvatus eris (si forte senectam
Fata tibi dederint) quis substentabit inertem?
Somnolentum, inopem, quum iam defecerit omne
Robur, & ingenium, sensusque recesserit omnis?
Haec tibi cuncta feret, nisi mors praevenerit, aetas.
Esto domi, vigila, observa, super omnia semper
Prospice quo tendas, & quo venisse dolendum est;
Ire cave, discerne vias, hominemque memento
Non ad delicias, non ad muliebria natum
Blandimenta, leni tam perniciosa iuventae.
Ipse ego; cui pecudes, cui lac, cui caseus; aegre

Vitam ago; tanta agros omnes invasit egestas,
Tot duri rerum eventus, incommoda passim
Tanta, tot adversis totus convolvitur orbis:
Accipe rem non auditam, non tempore factam
Praeterito, sed quam lux haec mihi protulit ipsi.
Vt mos, autumno pecudes crescente totondi,
Mane foro exposui lanae venalia pondo
Sexaginta hodie, grande aes conflare putabam,
Vix vitam gregis eduxi, vix pabula possum
Mercari hibernis nivibus, quo caetera pacto
Sit victura domus, nondum mihi constat Amynta.
Quisquis amat, dominae munuscula mittat oportet:
Tu vero, cui vix tectum fortuna reliquit,
Sub quo lux habitat, sub quo pernoctat egestas,
Quid poteris cupide gratum donare puellae?
Mittere mala decem, satis esse solebat amanti,
Purpurei flores, & raptus ab arbore nidus,
Gramen odoriferum, memini quo tempore magnae.
Credebantur opes; ventum est a gramine ad aurum:
Regia res amor est, hac tempestate recessit
Mos vetus, & quaedam mala lex inolevit amandi.
Talia suadenti, torvo mihi retulit ore:
Si cupis optatam mihi, Fortunate, salutem,
Da, quod amo, nostra haec una est medicina dolori.
Caetera quae memoras, mihi sunt tormenta; revelli
Ex animo furor iste nequit, mea pectora imago
Virginis obsedit, mecum est, mecum itque reditque,
Excubat, & dormit mecum, caput, ossa, medullas,
Cor complexa, potest cum sola excedere vita.
Ac veluti quotiens aliena ex arbore secto
Surculus inseritur trunco, natura duorum
Iungitur, & mixto coalescit corpore virga;
Sic dominae dilecta mihi se immersit imago,
Et fecit duo corda unum, duo traxit in unum

Pe-

Pectora; sensus inest nobis quoque spiritus idem.
Oh me felicem, si, quum mea fata vocabunt,
In gremio dulcique sinu, niveisque lacertis,
Saltem animo caput hoc languens abeunte, iaceret!
Illa sua nobis morientia lumina dextra
Clauderet, & tristi fleret mea funera voce;
Seu ad felices vadam post funera campos,
Seu ferar ardentem rapidi Phlegetontis ad undam;
Nec sine te felix ero, nec tecum miser unquam.
Oh Driades, florumque deae, nymphaeque decentes,
Oh nemorum Sylvane pater, servate precamur
Collibus in vestris, gelidisque in vallibus omne
Sylvarum rurisque decus, circundate saltus
Sepibus, & prohibete pecus ne floribus obsit;
Ista precor dominae servare in funere nostrae:
Tunc omnis spargatur humus, redolentia serta
Texite, quae circa tumulum, supraque iacentem
Componantur heram; tristes ad busta puellae
Pierides aderunt, & lamentabile carmen
Ore canent madido, signataque verba relinquent
Ista sepulturae relegenda nepotibus olim:
Hic tegitur virgo, cui nil, quin Diva vocari
Debuerit, deerat, nisi dura fuisset amanti.
Oh virgo, si te tantus consumeret ardor,
Per centum Scyllas ad te, per mille Carybdes
Tranarem laturus opem; tu saevior hydra
Me fugis? at culpae nihil est in virgine, nam me
Nescit adhuc, si sciret enim succurreret ultro.
Nec puto submitti tam ferrea pectora vultu;
Signa tamen vultus fallacia, sub cute molli
Mens fera, sub blanda sunt corda immania fronte.
Alloquar, & faciam nostros intelligat ignes;
Si tamen illa meos vultus averterit, ibunt
In lachrymas oculi, triste in suspiria pectus:

Oderit illa licet ſemper, fugiatque ſequentem;
Iſta tamen, quocumque ferar, me cura ſequetur.
Ite procul medicae, non ſum ſanabilis, artes;
Ite procul magico, qui (quod nec credere dignum eſt)
Carmine pallentes animas revocatis ab orco;
Ite procul vanis praecibus, qui flectere divos
Creditis; adverſum eſt, & inexorabile coelum:
Me rapit impatiens furor, & iuvat ire per altos
Solivagum montes, per luſtra ignota ferarum.
Talia iactantem verbis conabar amicis
Flectere, ſed vulnus nihil inſanabile curat.
Illum per campos nox intempeſta ſilentes,
Illum exorta dies inter dumeta videbat,
Inſomnem ſemper, raro ſylveſtria poma
Carpentem, & potu contentum ſimplicis undae.
Poſt longos gemitus, exhauſtaque lumina fletu
Aſſiduo, poſt lamenta, & convulſa frequenti
Pectora ſingultu, moriens finivit amores:
Exanimum corpus, tumuli ſine honore relictum,
Nocturnae abſumpſere ferae, volucreſque diurnae.

FAVSTVS.

Heu funeſta lues, fatalis machina, paſſim
Corda venenatis penetrans humana ſagittis,
Aequiparans hominem pecudi! Quae pocula Circe,
Quae peiora unquam potuit dare philtra Calypſo?
Quae Styx, quis Phlegeton gravior, quae maior Erinnys?
Oh ſtulti quicumque Deum dixiſtis amorem!
Num natura nocens Deus eſt? ubicumque locorum
Sit Deus, eſt homini clemens, innoxius, aequus.

FORTVNATVS.

Heu miſerande puer, tenera ſublate iuventa!
Quae tibi naſcenti luxerunt ſidera? quae tam
Noxia

Noxia pars coeli eſt, ut te nil tale merentem
Laeſerit, & primis infortunarit ab annis?
Nec tamen omnino coelum tibi defuit omne.
Carmen, & argutis quicquid modulamur avenis.
Doctus eras, niſi te mors immatura tuliſſet,
Dignus eras hederis, dignus Parnaſide lauro:
Nec melius cecinit pugnas, ac triſtia bella,
Hordea, & agrorum cultus, & paſcua, noſter
Tityrus, a magno tantum dilectus Alexi;
Namque tui precox animi ſolertia, nobis
Cognita iampridem, magnam producere frugem
Coeperat, & ſpecimen tulerat virtutis, & artis
Non vulgare tuae; poteras iam gloria dici
Ruris, & aetatis decus indelebile noſtrae.
Te Padus, & noſter lugubri Myntius ore,
Cum nymphis flevere ſuis; ut Thracius Hebrus
Orphea; te triſtes ovium flevere magiſtri,
Vt Daphnim luxiſſe ferunt; te paſcua & agri
Vndique, & audita eſt totis querimonia campis.
Spargite paſtores tumulum redolentibus herbis,
Atque ſacerdotum cantus, ac thura quotannis
Ducite, & aeternam requiem cantate poetae.

FAVSTVS.

Tu tamen arva tenes patriae melioris, & altum
Incolis Elyſium, nos hic te flemus Amynta.

FORTVNATVS.

Flendum hodie nobis fuerat, nam triſtia nocte
Neſcio quae moeſtis cernebam inſomnia formis.
Sed iam veſper adeſt, & ſol ſe in nube recondens
Dum cadit, agricolis vicinos nuntiat imbres;
Cogere, & ad caulas pecudes convertere tempus.

AEGLO-

AEGLOGA QVARTA.

ARGVMENTVM.

Amissum memorat caprum, puerique furorem
Ianus, & ingenium notat hinc Alphus muliebre.

INTERLOQVVTORES.
ALPHVS, ET IANNVS.

ALPHVS.

IAnne, caper (video) macer est tuus, esse solebat
Acer, & elatis in coelum cornibus ire:
Nunc deiectus humi, flaccis piger auribus herbam
Olfacit, & summis attingit gramina labris.

IANNVS.

Languet, & ex isto languore facetia surgit;
Quae quotiens memini, risum ciet, edita nondum est,
Edita cum fuerit, totus mirabitur orbis.

ALPHVS.

Ianne, soles narrare sales lepidissime, & ore
Suaviloquo, dic ergo tuus cur langueat hircus?

IANNVS.

Res non ficta, Deus testis, sed facta recenter:

At

At dulce id facinus non est narrabile gratis;
Quid pretii sperare licet, quae dona reporto?

ALPHVS.

Ianne, ubi congessit nidos philomena docebo.

IANNVS.

Qui leviter spondet, promisso eludit inani.

ALPHVS.

Qui non credit, inops fidei, sed pignore tutum
Te faciam, duo tela mea deprome pharetra.

IANNVS.

Incipiam, Nymphae Parnasides, ora movere,
Et memorare mei dira infortunia capri;
Ac philomeneos Alpho concedite nidos.
Conductus mercede puer praefectus ovili
Assidue pascebat oves, caprum, atque capellas:
Servitium nobis puer fuit utile, donec
Virgine conspecta, quae tum huc veniebat aquatum,
Tabuit, ex illo vecors iam tempore factus,
Frigidus curare gregem, contemnere caulas
Coepit, & exhausto subvertere cuncta cerebro:
Cum sopitus erat, poterat vigil esse videri;
Nugabatur enim quando vigilabat, inerti
Corporis officio, solvebat somnia mente.
Hunc ergo in saltu ludens per cornua caprum
Viminibus validis inter dumeta ligarat:
Quarta dies hodie, tentans an vincula possit
Vincere cervice, ac praedurae robore frontis:
Quaesitum interea nidos nemus omne pererrat,
Corda subit virgo, dilecta recogitat ora,
Ora, sinus, & quae fari pudor, omnia volvit:

Lux

Lux fugit interea, capri redit immemor, alta
Nocte recordatus surgit, pavidusque per umbras
Dum graditur, ruit in foveam, quae fronde saligna
Captandis obducta feris, & stramine sicco
Instar erat putei fundo irremeabilis alto.
Est caper in vinclis, puer est in carcere, pastor
Nullus oves curat, iam tertia luxerat hora.
Miror, oves refero, ac numero, caprumque requirens
Obstupeo, puerum clamo, magalia lustro:
Vera loquar, magicis ne forte liquoribus unctus
Extimui, ascenso, migrasset in aera, capro;
Namque stryges, tali fama est ope, nocte vagantes
Ad quaedam longinqua procul convivia ferri.
Attonitus tandem pecudes ad pascua duco,
Dumque mecum meditans subeo nemus, ecce per umbras,
Ecce procul caper in dumis strepit, atque reluctans
Cornibus adversis contra sua vincula pugnat.
Terruit incautum subito feralis imago,
Et nil tale ratum, firmato pectore tandem
Nosco animal, subiensque rubos, seco vincula runca:
Sero domum rediens, video per pascua longe
Turbam exultantem risu iuveniliter alto.
Vt prope constitimus, meque agnovere, salutant;
En tuus ecce aiunt, puer hic, o Ianne, luporum
Erutus e foveis, dum nocte perambulat agros,
Incidit in casses; & sic inventus uterque,
Et caper, & pastor; caper haec incommoda passus
Languet adhuc, puer imprudens insanior hirco est.
Virgo superbivit mox, ut se audivit amari,
Et pueri simulans curam ignorare, pudorem
Fingit, ut ad formam faciat pudor, ora, sinumque
Ornat, & in terram versis incedit ocellis,
Callida vulpina rem simplicitate gubernat.
Haec studia, hi casses, haec sunt mulieribus arma.
Ille

Ille ſua ſperans Galathea aliquando potiri,
Contempta mercede, ſuos ſectatur amores:
Propterea, plauſtro, ſtiva, bobuſque relictis,
Ad paſtoris opus redeo; ſubiecta furori
Iſta iuventutis levitas, rura omnia vexat.

ALPHVS.

Quod nequit ingenium, caſus facit; oh ſtupor, oh ſors
Ingenioſa, oh res riſu celebranda bimeſtri!
Ianne, vides, ſervanda tibi philomela laborat:
Sed quod tam vafro memoras de virginis aſtu,
Retulit in mentem, quae pſallere ſaepe ſolebat
Carmina foemineis olim de fraudibus Vmber.

IANNVS.

Dic Vmbri, dic ſi quid habes, meditare parumper,
Et verba, & numeros; Vmbri eſt memorabile carmen.

ALPHVS.

Eſt, ut ais, ſed non gratis memorabile carmen:
Quas referes grates, & quid mercedis habebo?

IANNVS.

Accipe, promiſſis abſolvo, & ſpicula reddo.

ALPHVS.

Dum vado ad ventrem poſt haec carecta levandum,
Ianne, meum tu coge pecus, ne vitibus obſit.

IANNVS.

Oh aries, aries; qui tortis cornibus atrum
Daemona praeſentas; ſemper vineta ſubintras!
Non ſapies, donec foſſa tibi lumina fronte
Eruero; non ſunt porrecta in iugera centum
Paſcua ſat, niſi pampineos populeris & agros?

ALPHVS.

Ianne, recordatus redeo, sed plurima forsan
Nondum tota tibi referam; cognoverat Vmber
Omnia, quae fas est homini perdiscere; coelos,
Sydera, tellurem, ventos, mare, flumina, fontes
Viderat, & Rhodopen, atque alta Geraunia, & Ossam,
Gallica regna, Ararim, Rhodanum, Tiberimque, Padumque
Attica Romanis referebat carmina verbis
Ore utroque parens, & lingua primus utraque:
Hunc unum nobis invidit Graecia, & ipsi
Arcades, & Thracum saltus, & Thessala tempe.
Si quid erit quod forte velis tibi notius esse,
Candidus illius semper documenta sequutus
Non procul hinc, haec ille tenet, nos ille docebit:
Sed iam septiforem flatu experiamur avenam;
Ante tamen Nymphae precor ut Libethrides adsint,
Praesertim quae plus meminisse polymneia fertur.
Foemineum servile genus, crudele, superbum,
Lege, modo, ratione caret, confinia recti
Negligit, extremis gaudet, facit omnia voto
Praecipiti, vel lenta iacet, vel concita currit:
Foemina, sempet hyems, atque intractabile frigus,
Aut canis ardentes contristat sydere terras,
Temperiem numquam numquam mediocria curat,
Vel te ardenter amat, vel te capitaliter odit.
Si gravis est, moeret torvo nimis hernica vultu;
Si studeat comis fieri, gravitate remissa,
Fit levis, erumpit blando lascivia risu,
Et lepor in molli radiat meretricëus ore;
Flet, ridet, sapit, insanit, formidat, & audit,
Vult, non vult, secumque sibi contraria pugnat,
Mobilis, inconstans, vaga, garrula, vana, bilinguis,
Imperiosa, minax, indignabunda, cruenta,

Im-

Improba, avara, rapax, querula, invida, credula, mendax,
Impatiens, onerosa, bibax, temeraria, mordax,
Ambitiosa, levis, maga, lena, superstitiosa,
Desidiosa, vorax, ganeae studiosa, palatum
Docta, salax, petulans, & dedita molitiei,
Dedita blanditiis, curandae dedita formae,
Irae odiique tenax, inidonea, tempora differt
Vlciscendi animos, infida, ingrata, maligna,
Impetuosa, audax; fera, litigiosa, rebellis;
Exprobat, excusat tragica sua crimina voce;
Murmurat, accendit rixas, nil foedera pendit;
Ridet amicitias, curat sua commoda tantum;
Ludit, adulatur, defert, sale mordet amaro;
Seminat in vulgus nugas, auditaque lingua
Auget, & ex humili tumulo producit Olympum:
Dissimulat, simulat, doctissima fingere causas
Ordirique dolos, fraudique accommodat ora,
Ora omnes facili casus imitantia motu.
Non potes insidias evadere, non potes astum
Vincere; tantae artes, solertia tanta nocendi:
Et quamquam videas oculis praesentibus, audet
Excusare nefas, potis est eludere sensus
Sedulitate animi, nihil est quod credere possis;
Et nihil est quod non si vult, te credere cogat.
His facient exempla fidem: quae crimina non sunt
Foeminea tentata manu? dedit hostibus arcem
Decepta ornatu brachii Tarpeia sinistri:
Saeviit in natos manibus Medea cruentis,
Tyndaris Aegeas oneravit navibus undas:
Scylla hostem sequitur, patri furata capillum:
Fratrem Biblis amat, subiicit se Myrrha parenti:
Concubitus nati longaeva Semiramis ardet;
Causa necis nati coniunx fuit Amphiarao
Occidere viros nocturnis Belides armis;

Orphaea membratim Cicones secuere poetam,
Cognita luxuriae petulantia Pasiphaeae;
Phaedra pudicitiam contra crudeliter ausa est;
Decepit Iudaea virum Rebecca, suamque
Progeniem, velans hircino guttura tergo;
Porrigit Alcidae coniunx fatale venenum;
Decipit Hippodame patrem, Lavinia Troes
Implicat ancipiti bello; Bryseis Achillem
Depulit e castris, demens Chryseide factus
Fulminat Atrides, & sentit Apollinis iras:
Eva genus nostrum felicibus expulit arvis.
Credite pastores, per rustica Numina iuro,
Pascua si gregibus vestris innoxia vultis,
Si vobis ovium cura est, si denique vobis
Grata quies, pax, vita, leves prohibete puellas,
Pellanturque procul vestris ab ovilibus omnes,
Thestylis, & Phyllis, Galathea, Neaera, Licoris;
Dicite, quae tristem mulier descendit ad orcum,
Et rediit? potuit, si non male sana fuisset,
Euridice, revehi per quas descenderat umbras.
Rapta sequi renuit fessam Proserpina matrem:
At pius Aeneas rediit, remeavit & Orpheus,
Maximus Alcides, & Theseus, & duo fratres;
Vnus equis, alter pugnis bonus, atque palestra;
Et noster Deus, unde salus, & vita resurgit.
Haec sunt pastores, haec sunt mysteria vobis
Advertenda, animi fugiunt obscoena viriles:
Foemineas loca delectant infamia mentes.
Vt semel in scopulos vento contortus, & unda
Nauta, scit incautis monstrare pericula nautis:
Sic senior, longo factus prudentior usu,
Praeteritos meminit casus, aperitque futuri
Temporis eventus, vitaeque pericula monstrat.
Si fugiunt aquilam fulicae, si retia cervi,

Si agna lupum, si dama canem, muliebria cur non
Blandimentà fugis? tantum tibi noxia pastor?
Est in eis pietas Crocodili, astutia Hienae:
Quum flet, & appellat te blandius, insidiatur;
Foemineos pastor fugito (sunt retia) vultus.
Non animis, non virtuti, non viribus ullis
Fidito, non clypeo, cuius munimine Perseus
Vidit saxificae colubros impune Medusae.
Monstra peremerunt, multi domuere gigantes;
Evertere urbes, legem imposuere marinis
Fluctibus, impetui fluviorum, & montibus aspris;
Sacra coronarunt multos certamina, sed qui
Cuncta subegerunt, sunt a muliere subacti.
Rex qui pastor erat, funda spolioque leonis
Inclytus; & natus, qui Templa Sionia fecit
Primus; & excellens invicto robore Sampson
Foemineum subiere iugum; minus officit ignis,
Saxa minus, romphea minus, minus hasta, minus mors:
Nec formae contenta suae splendore, decorem
Auget mille modis mulier, frontem ligat auro,
Purpurat arte genas, & collocat arte capillos;
Arte regit gressus, & lumina temperat arte;
Currit, ut in latebras ludens perducat amantem:
Vult dare, sed cupiens simplex, & honesta videri,
Denegat, & pugnat, sed vult super omnia vinci.
Foemina coeciaco (res mira) simillima vento est;
Qui trahit, expellens mendaci nubila flatu.
Quisquis es (expertus moneo) tentare recusa
Dum licet, hic fragilis quod habet fastidia sexus:
Immundum natura animal, sed quaeritur arte
Mundities, id luce opus est, ea somnia nocte.
Deglabrat, lavat, pingit, striat, ungit, & ornat:
Tota dolus, tota ars, tota histrio, tota venenum:
Consilio speculi gerit omnia, labra movere

Di-

Difcit, & infpecto vultum componere vitro:
Difcit blandiri, difcit ridere, iocari:
Incedens humeros difcit vibrare, natefque.
Quid fibi vult nudum pectus? quid aperta fuperne
Rimula, quae bifidam deducit in ubera vallem?
Nempe nihil, nifi quo virus penetrabile fenfum
Plus premat, & ftygiae rapiant praecordia flammae.
Hi iuvenum fcopuli, fyrtes, fcyllae, atque carybdes;
Hae immundae Phinei volucres, quae ventre foluto
Proluvie foeda thalamos, coenacula, menfas,
Compita, templa, vias, agros, mare, flumina, montes
Inceftare folent; hae funt Phorcinides, ore
Monftrifico, extremis Lybiae quae in finibus olim
Afpectu mutare homines in faxa folebant.
Carmina doctiloqui curfim recitavimus Vmbri;
Quae fi vifa tibi nimium prolixa memento,
Ipfius id rei vitium, non carminis effe;
Non longum eft carmen, mulierum amentia longa eft.
Oh memorande fenex, quo fe vetus Vmbria tantum
Iactat, & ipfe tuae Tyberis conterminus Vrbi,
Martia non ab re tantum te Roma vocabat!
Ipfa tuas artes, & non trivialia norat
Carmina, te vita functum flevere latinae
Naiades, & Graiae; tua molliter offa quiefcant
Semper, & in fummo mens aurea vivat Olympo.

AEGLO-

AEGLOGA QVINTA.

ARGVMENTVM.

Otia Sylvanus miratur inertia vatis;
Candidus abiectos queritur nunc esse poetas.

INTERLOQVVTORES.

SYLVANVS, ET CANDIDVS.

SYLVANVS.

CAndide, nobiscum pecudes aliquando solebas
Pascere, & his gelidis calamos inflare sub umbris,
Et miscere sales, simul & certare palaestra:
Nunc autem, quasi pastores & rura perosus,
Pascua sopito fugis, & trahis otia cantu.

CANDIDVS.

Vos quibus est res ampla domi, quibus ubera vaccae
Plena ferunt, quibus alba greges mulctralia complent,
Cymbia lacte nivent, & pinguia prandia fumant,
Carmina laudatis; si quid concinnius exit,
Plauditis, ac laeti placidas extenditis aures:
Pro numeris vanas laudes, & inania verba
Redditis; interea pastor sitit, esurit, alget.

SYLVANVS.

Nonne potest curare greges, & dicere versus
Quum vacat, & positis vitam traducere curis?

CAN-

CANDIDVS.

Omnem operam gregibus pastorem impendere oportet;
Ire, redire, lupos arcere, mapalia saepe
Cingere, mercari paleas, & pabula victum
Quaerere; nil superest oci: laudabile carmen
Omnem operam, totumquae caput, Sylvane, requirit
Grande utrumque opus est, & nostris viribus impar.
Quum cecini sitio, sitienti pocula nemo
Porrigit; irrident alii, tibi penula dicunt,
Candide, trita, genu nudum, riget hispida barba.
Iam sylvae implumes, & hyems in montibus albet;
Irascor, doleo; indignor, fert omnia victus;
Lanitium, foetusque mares, non vendimus agnas.
Sed quia lac pascunt, praemitur nihil, ubera siccant.
Poenitet ingenii, si quid mihi poenitet artis;
Poenitet & vitae, postquam mihi nulla secundant
Ex tot syderibus, quot sunt in nocte serena.
Hactenus (ut nosti) gratis cantavimus, aetas
Indigna paucorum merces fuit, altera longe
Conditio senii, quod nunc subit, omnium egenos
Reddit, & extinctis lucri spem viribus aufert:
Mox erit utendum partis, modo quaerere tempus;
En formica brevis, sed provida bestia, condit
In brumam nova farra cavis aestate latebris,
Neve renascantur, fruges secat ore sepultas.

SYLVANVS.

Scire genethliacos fatalia sydera dicunt;
Hi sub Mercurio nates, & sub Iove reges,
Magnatesque locant; istis dat Iuppiter aurum,
Atque magistratus, dat Maiae filius illis
Ingenium, linguam, citharas, & carminis artem:
Haec tua sors, quid quaeris opes? Deus omnia in omnes

Di-

Dividit, ut melius nobis videt esse futurum:
Sorte tua contentus abi; sine coetera nobis.

CANDIDVS.

Sunt tibi divitiae, mihi carmina; quid petis ergo
Carmen? & invadis partes, Sylvane, alienas?

SYLVANVS.

Non tibi surripio carmen, nec Apollinis arma,
Sed dare dulcisonis aures concentibus opto.

CANDIDVS.

Si gaudere meis igitur concentibus optas,
Nos gaudere tuis opibus, Sylvane, decorum est.

SYLVANVS.

Ille meis opibus gaudet, qui diligit, odit
Invidus, atque animo bona fert aliena molesto.

CANDIDVS.

Sic quoque tu nostris absens gaudere camoenis
Sat potes; haec artis sat sint tibi gaudia nostrae:
Carmina sunt auris convivia, caseus oris;
Si cupis auditu, fac nos gaudere palato;
Hoc amor, hoc pietas, hoc vult Deus, omnia non dat
Omnibus, ut nemo sibi sit satis, indigeatque
Alter ope alterius; quae res coniungit in unum
Omne genus, Gallos, Mauros, Italos, & Iberos.
Sydera iungamus, facito mihi Iuppiter adsit,
Et tibi Mercurius noster dabit omnia, saxo,
Pilleolum, virgam, citharas, nodum Herculis, alas.

SYLVANVS.

Vana supervacuis inculcas plurima verbis.

CANDIDVS.

Vana inquis, quae damna tuis inferre videntur
Divitiis; si vis nostras audire camoenas,
Erue sopitam de sollicitudine mentem:
Vult hilares animos, tranquillaque pectora carmen.
Torpeo, ut esuriem patiens & frigora milvus;
Iamdudum squarrosa cutis, sitis occupat ora;
Nec pecus in stabulis, nec in agro farra, nec aurum
In loculis; & vis positis me vivere curis?
Non facit ad nostros talis medicina dolores:
Fac alacrem, tege, pasce, gravi succurre senectae,
Invenies promptum versu, & cantare paratum:
Plena domus curas abigit, cellaria plena,
Plena penus, plenique cadi, plenaeque lagenae,
Horrea plena, greges laeti, gravis aere crumena.
Tunc iuvat hybernos noctu vigilare decembres
Ante focum, & cineri ludos inarare bacillo;
Torrere, & tepidis tostas operire favillis
Castaneas; plenoque sitim restinguere vitro,
Fabellasque inter nentes ridere puellas.
Tityrus (ut fama est) sub Moecenate vetusto,
Rura, boves, & agros, & martia bella canebat
Altius, & magno pulsabat sydera cantu:
Eloquium fortuna dabat; nos debile vulgus,
Pannosos, macie affectos, farragine pastos,
Aoniae fugiunt musae, contemnit Apollo.

SYLVANVS.

Si sperata mihi dederit fortuna, quod opto,
Candide, praesenti te sollicitudine solvam.

CANDIDVS.

Oh utinam, Sylvane, foret tibi tanta voluntas,
Quan-

Quanta eſt hac etiam tibi tempeſtate facultas!
Non ego divitias Coſmi, non ſerica poſco
Pallia, non Tyrias Clamydes, non prandia regum,
Non patinam Aeſopi fameo, clypeumve Minervae;
Nil opus eſt regis laribus, cui ferrea nomen
Tradidit, aut ſi mens non fallitur, aenea barba.
Haec me iampridem memini didiciſſe ſub Vmbro:
Poſtulo veſtitum, peto victum ſub lare parvo;
Certior iſtud opis toti non defore vitae;
Sint mihi Pythagorae menſae, Codrique ſupellex.
Saepe alios, qui ſpem dederint, invenimus ore
Magnificos, ſed re modicos, tibi fidimus uni;
Tu mihi ſi fueris mendax, praeciditur omnis
Spes ut ſolſtitio fiam philomena reverſo:
Mutus, & elinguis, ſuſpendere poſtibus arma
Tempus erit, clauſoque abigi ſpectacula circo.

SYLVANVS.

Candide, vidiſti Romam, ſanctique ſenatus
Pontifices? ubi tot vates, ubi copia rerum
Tantarum, facile eſt illis diteſcere campis.

CANDIDVS.

Deciperis, me velle putans diteſcere, veſci
Et lupus omne animal crudis exiſtimat eſcis;
Tuque putas alios, quo tu pede, claudere paſſum:
Non ego ditari cupio, ſed vivere parvo;
Fac habeam tenuem ſine ſollicitudine victum,
Hoc contentus eam, Romana palatia vidi.
Sed quid Roma putas mihi proderit, o Sylvane?
Occidit & Auguſtus numquam rediturus ab orco.
Si quid Roma dabit? nugas dabit; accipit aurum,
Verba dat; heu Romae nunc ſola pecunia regnat!
Exilium virtus patitur, ſperare iubemur
Vndique, & in toto vates ſpe paſcitur orbe.

SYLVANVS.

Dic pugnas, dic geſta virum, dic praelia regum,
Vertere ad hos qui ſceptra tenent, qui regna gubernant;
Invenies, qui te de ſordibus eruat iſtis.

CANDIDVS.

Inveniam qui me derideat, & ſubſannet!
Tempeſtate iſta reverentia tanta poeſi,
Quanta lupanari; quid me, Sylvane, laceſſis?

SYLVANVS.

Non decet obſcoenis vatem prorumpere verbis.

CANDIDVS.

Non poſſum non vera loqui, ſi vera taceri
Forte velis, levibus me parce laceſſere dictis.

SYLVANVS.

Vtile conſilium praeſtare, laceſſere non eſt.

CANDIDVS.

Conſilii locuples ego, ſed pauperrimus auri,
Qui pugnas; qui geſta virum, qui praelia regum
Dicet inops vates, cui nec, quo fiſtula poſſit
Aptius incidi, fierique foramina, culter?
Aſpice, ut excuſſis laxata manubria clavis;
Vt dentata acies, veterique ſimillima ſerrae.
Hoc leve, ſed menſae grave, & intolerabile damnum.
Vtile conſilium firmat, ſed inutile mentem
Frangit, & extenuat vires, animumque retundit.
Magnates dare parva pudet, dare magna recuſant:
Adde, quod & noſtri curant ita carmina reges,
Vt frondes aquilo, mare lybs, vineta pruinae.

Ipſi

Ipsi ad delicias reges, & ad otia versi,
Quod celebrant laudari optant; hinc carmina manant
Perdita de studio Veneris, de scurrilitate,
De ganea, de segnitie, de infamibus actis,
Quae castum capitale nefas celebrare poetam.
At qui dura manu gesserunt bella potenti,
Fortiter utentes ferro, non molliter auro,
Dilexere graves musas, heroica facta;
Qui faciunt reges, heroica carmina laudant.
Vt cessere viri fortes, & mascula virtus,
Dicendum altiloqui nihil invenere poetae;
Occidit ingenium vatum, ruit alta poesis.
At si forte aliquis regum gerit aspera bella,
Et decus armorum studiis, belloque paravit,
Nil genus externum, venturaque saecula curat;
Laude suae gentis fatur, & praesentibus annis:
Barbarus est; neque carmen amat, vel avarus in auro
Mergitur, atque Midae curis flagrantibus ardet.
Est & apud reges rudis, invida, rustica turba,
Mimus adulator, leno, assentator, adulter,
Histrio, scurra, quibus virtus odiosa, poetas
Mille modis abigunt; ut quando cadavera corvi
Invenere fugant alios, volucresque, ferasque.
Sunt etiam vates, quidam sine lege petulci,
Qui sine lege aliti, sine praeceptoribus audent,
Quicquid amant reges, & amant infamia solum
Scribere; non vates etiam dementia vexat:
Hi se, nescio qua mentis levitate poetas
Esse volunt, postquam trivialibus ora cicutis
Applicuere, sibi applaudunt, sua carmina iactant,
Insulsi, illepidi, indociles, improvidi, inepti.
Qui solet his vacuas praebere ambagibus aures,
Id vitium commune putat, doctisque resistit
Vatibus, a vero indoctus discernere falsum.

SYL.

SYLVANVS.

Candide, per Superos, per Olympica Numina iuro,
Me tibi (si venti veniant ad vela secundi)
Laturum auxilium; meliora in tempora vive,
Nec paulisper adhuc mecum sperare recusa.

CANDIDVS.

Si mihi sic optas, tibi sit, Sylvane, quod optas.

SYLVANVS.

Opto equidem, dictumque fides non sera sequetur.

CANDIDVS.

Vade malis avibus, numquam rediturus avare,
Et facias subito, quicquid tractaveris aurum
More Midae, quando virtus tibi vilior auro.

AEGLO-

AEGLOGA SEXTA.

ARGVMENTVM.

Cornix enarrat diſcrimina ruris & urbis,
Et pergit varios ſtultorum carpere mores.

INTERLOQVVTORES.
CORNIX, ET FVLICA.

CORNIX.

NIngit hyems, mugit boreas, a culmine pendet
Stiria, depoſitis bobus requieſcit arator:
Dormit humus, clauſo paſtor tunicatus ovili
Ceſſat iners, ſedet ante focum fumoſa Neaera,
Atque polenta coquit; prius intolerabilis aeſtas,
Nunc laudatur hyems, aeſtu laudata moleſto;
Diſplicet optatum, damnat praeſentia frigus.

FVLICA.

Omne bonum praeſens minus eſt; ſperata videntur
Magna; velut maius reddit diſtantia lumen.

CORNIX.

Delicias habet omne ſuas, & gaudia tempus.
Aſpice ut impexi, tritaque in veſte ligati
Caede ſuum pueri exultant, inflatur in utrem
Im-

Immissis vesica fabis, sonat, & micat, acta
Nunc pede, nunc cubito, stricto nunc obvia pugno.
Si cadit, attollunt; cursu labor, atque recursu
Brumam abigit, glaciale gelu pila rustica vincit:
Nos tamen hic melius tepido sub stramine foci
Transigimus tempus, dum lac coit igne recoctum.

FVLICA.

Pauperiem declarat hyems; improvida certe
Turba sumus iuvenes, securi aestate vagamur,
Immemores, hyems nostrum aes tibicinis omne est.
Vt redit e Scythia Boreas, nidosque volucrum
Frondibus ostendit nudata cadentibus arbor,
Frigemus nudi scapulas, dorsum, ilia, plantas;
Stultitiam declarat hyems; sapientius urbes
Congeriem nummum accumulant, & ad ilia vulpes,
Melotasque trahunt, maculosaque tergora lyncis.

CORNIX.

Desipiunt omnes, nec nos in crimine soli;
Imo ipsos vexat gravior dementia cives:
Verum illis mater, nobis fortuna noverca;
Nos premit, infelix sors est dementia, fac sim
Fortunatus, ero locuples, ero primus in urbe;
Audiar, assurgent omnes, me vertice nudo
Vulgus adorabit, me plebs, me consulet omnis
Turba; magistratus etiam, populusque, patresque.

FVLICA.

Oh Cornix, Cornix, non est fortuna, sed ipse
Quo sapiunt homines animus! fortuna potentem
Non facit, imo Deus; causam recitabat Amyntas.

CORNIX.

Est fortuna Deus, sed quid recitarit Amyntas

Dic

Dic precor? in caufis erat ingeniofus, & acer:
Ante tamen paulum pecus, & praefepia vife.

FVLICA.

Vade, redi; calor eft poft frigora dulcior: ito,
Attingit nix alta genu, vix tecta refiftunt
Tanto oneri, fublimis apex in vertice furni
Pyramidem fecit, metaque affurgit acuta.

CORNIX.

Da pecori cordum, ftipulifque foramina claude:
Si paries hiat, & rediens laetamine muni
Limina; nulla gregi gravior quam frigora peftis.
Iam ne ades? oh quaenam haec folito properantia maior!

FVLICA.

Sollicitum me reddit hyems; in frigore, & igni
Maxima ftrenuitas; foeno recubare calenti,
Abfcondique cavo accubitu poft frigora dulce eft.

CORNIX.

Incipe, & enarra difcrimina ruris, & urbis.

FVLICA.

Hoc igitur tantum ruris difcrimen, & urbis
Taliter exortum, nofter recitabat Amyntas.
Principio rerum, primaque ab origine mundi,
Cum muliere marem fociali foedere iungens,
Coeli opifex (fic namque Deum appellabat Amyntas)
Nomen adhuc teneo, natos producere iuffit,
Atque modum docuit, fieri quo pignora poffent:
Accinxere operi, mandata fideliter implent;
Sicque utinam de pomi efu fervata fuiffent!
Foemina fit mater, puerum parit, atque puellam,

Atque puerperio simili foecunda quotannis,
Auxit in immensum generis primordia nostri.
Post tria lustra Deus rediit, dum pignora pectit,
Foemina prospiciens, venientem a limine vidit.
Adam aberat, securus oves pascebat, adulter
Nullus adhuc suspectus erat; sed multiplicatis
Connubiis fraudata fides, sine cornibus hirci
Facti, & zelotypo coniunx suspecta marito;
Nam quae quisque facit, fieri sibi furta veretur.
Erubuit mater, nimiaeque libidinis ingens
Indicium rata tot natos, abscondere quosdam
Accelerat, foeno sepelit, paleisque recondit:
Iamque lares Deus ingressus, salvere penates
Iussit, & huc, dixit, mulier tua pignora profer;
Foemina maiores natu producere mandat.
His Deus arrisit, velut arridere solemus
Exiguis avium pullis, parvisque catellis.
Et primo laetatus ait, cape regia sceptra,
Rex eris; at ferrum, & belli dedit arma secundo;
Et dux, inquit, eris, fasces, populique secures
Protulit, & vites, & pila insignia Romae:
Iamque magistratus celebres partitus in omnem
Progeniem humanos tacitus volvebat honores.
Interea mater rebus gavisa secundis,
Evolata ad caulas, & quos absconderat ultro
Protulit, haec dicens; nostri quoque pignora ventris;
Hos aliquo Pater Omnipotens dignabere dono.
Setosum albebat paleis caput, haeserat armis
Stramen, & antiquis quae pendet aranea tectis.
Non arrisit eis, sed tristi turbidus ore,
Vos foenum, terram, & stipulas (Deus inquit) oletis!
Vester erit stimulus, vester ligo, pastina vestra,
Vester erit vomer, iuga vestra, agrestia vestra
Omnia; aratores eritis, pecorumque magistri.

Foenisecae, solifossores, nautae, atque bubulci:
Sed tamen ex vobis quosdam donabimus urbe,
Qui sint sartores, lanii, lixae, artocopique,
Et genus hoc alii, soliti sordescere, semper.
Sudare, & toto servire prioribus aevo:
Taliter Omnipotens fatus repetivit Olympum.
Sic factum est servile genus, sic ruris, & urbis
Inductum discrimen, ait Mantous Amyntas.

CORNIX.

Mirabar, si quid recti dixisset Amyntas;
Civis erat: semper nobis urbana iuventus,
Cui nihil est praeter stulta haec commenta negoci,
Ludit in agrestes semper iaculatur, & urbis
Talia garrulitas, & vaniloquentia fingit:
At neque de Superis pudet has componere nugas;
Iste iocus manifesta gerit convitia secum.
Sed tu tam rudis es, tam pleno inflatus omaso,
Vt neque perpendas isto te scommate carpi?
Nos quoque paulisper mentem extendamus ad urbis
Stultitiam, ne forte putes sapientius illos
Vivere, qui splendent auro, qui murice fulgent:
His oculis vidi tunicis plerosque superbis
Vestiri, atque foro regali incedere gressu,
Quos secreta fames premit, atque domestica aegestas:
Stultius his certe nihil est opulentia ficta.
Paupertas, & segnitia, & inertia vitae
Vera, quid est aliud quam desipientia vera?
Vidi etiam patres (oh rem indignam, atque nefandam!)
Dum segnes dormire volunt, & vivere laute,
Prostituisse suas vulgo cum coniuge natas:
Quid peius, quid perfidius, quid stultius umquam?

FVLICA.

Quid si vitam alio nequeunt traducere pacto?

CORNIX.

Quum totidem quot nos habeant animasque manusque,
Dic cur vitam alio nequeant traducere pacto?
Est etiam, cuius vecors industria vanas
Quaerat opes, ubi nullus opes invenit ab aevo;
Aes lavat herbarum succis, & vertere in aurum
Aestimat, ac nigra semper fuligine pallet:
Est, qui dum tellure latens desiderat aurum,
Dat magicis operam studiis, & tempora perdit.
Quid levius, quid futilius, quid inanius umquam?
Omnia ne veniant ad opus telluris, & agri,
Omnia pertentant, ut agant nihil, omnia versant;
Semper agunt, numquam peragunt, ex foenore victum
In famem extorquent, vi, fraude, dolisque laborant,
Mille viis, opibus mille insidiantur honori.
Nos capras, & oves, armentaque pascimus; illi
Accipitres, catulos, & equos, & cercopithecos;
Rusticus est ovium pastor; volucrumque, canumque
Civis: utrum melius, te iudice, nobiliusque?
Oh Fulica, utilitas unde, & opulentia maior?

FVLICA.

Si venit ex nostris operis opulentia maior;
Civibus unde igitur tantarum copia rerum?

CORNIX.

Ex vi, fraude, dolis; vi, fraudi, dolisque laborant.
Nonne vides, insane, ut nos crudeliter urgent,
Quo capiunt astu? nos irretire loquendo,
Sacrum offerre putant, & opus sublime, piumque;
Huc aures, oculosque adigunt, huc ora, manusque.

FVLICA.

Vnde urbanarum tibi tanta peritia rerum?

COR-

CORNIX.

Haec didici quondam ductis in moenia capris,
Quum lac vociferans ibam venale per urbem:
Mansi apud artocopum; sapiens, & ad omnia promptus
Furta erat, & crudum ferro subradere panem.
Ipse, ut erat mores urbis doctissimus, ista
Tradidit, affirmans nihil esse nocentius urbe;
Se quoque furari didicisse aiebat ab urbe.
Sunt etiam, qui parta ab avis patrimonia fundunt
In meretricum usus: quid foedius, improbiusque?
Dic ubi moechandi ars, homicidia, seditiones?
Nonne inter cives, atque intra moenia regnant?
Quid reges, qui regna hominum per vulnera quaerunt,
In mortemque suos adigunt? quid pectora miles
Obiiciens telis, per mille pericula vadens,
Pro stipe dat vitam? nulla est insania maior!
Gloria praefertur vitae: quid gloria? quid laus?
Quid fama est? quid honor? voces, & opinio vulgi.
Omnia longa dies abolet, quum vivere cessas;
Omnia sic abeunt, ut lux cum sole recedit.
Qui mare sollicitant remis, quum vivere possint
In patria, stulti; ventis qui credit, & undis
Stultus; divitiae cui sunt, & negligit uti
Stultus; qui ut natis cumulet patrimonia partis
Abstinet, & genium fraudat stultissimus; & qui,
Quae facere ipse potest, natis facunda relinquit.
Qui numerant stellas, & se comprehendere fata
Posse putant, stulti; verum dementior istis,
Naturam quicumque Dei scrutatur, & audet
Figere in immensam lucem tam debile lumen.
Nostra fides melior; civis ratione coactus
Difficile assentit; nudis nos omnia verbis
Credimus, & plures faculas accendimus aris.

Ci-

Civibus eſt infida fides, inquirere numquam,
Mente ſinunt arcana Dei; ſi Numina ſcire
Eſſet opus, poterant nobis ſe oſtendere; verum
Quando latere volunt, quid veſtigare neceſſe eſt,
Quae nos ſcire negant ipſi qui cuncta gubernant?
Noſtra etiam pietas, pietate potentior urbis;
Namque viri, qui ſacra canunt, templiſque miniſtrant,
Quanta legunt ruri paucis alimenta diebus!
Vidi ego quaeſitas ex rure, in moenia plenis
Puppibus inferri (pietas ea ruſtica) fruges.
Stultorum eſt aliud genus immedicabile quoddam;
Cauſidici, latratores, rabulaeque forenſes,
Nummorum aucupium docti, legumque tyranni;
Aere patrocinium vendunt, producere cauſas,
Et lites pendere diu, vindemia quaedam eſt.
Sunt & equeſtre genus medici, qui tangere venas
Nonnumquam illicitas audent, & ponere quaedam
Non intellectis temeraria nomina morbis.
His, & ſi tenebras palpant, eſt facta poteſtas
Excruciandi aegros, homineſque impune necandi:
Qui vero in populis praeſunt, homineſque gubernant,
Quo plus iuris habent, quantoque licentia maior,
Inſanire ſolent tanto amplius: oh ubi ſancti
Rectores, & iuſtitiae, & pietatis amici,
Quos patres ſero ante focum memorare ſolebant?
Omnia nunc abeunt peſſum, ſpoliata queruntur
Templa, gemunt inopes, viduae lachrymantur; & huius
Quaenam cauſa mali? quia ſtat pro lege libido.

FVLICA.

Iſta tua, o Cornix, eſcandeſcentia fines
Tranſit honeſtatis, ſcelus omnibus obiicis omne!
Innocuos habitare homines, & in urbe memento.

COR-

CORNIX.

Non habitant colubri quaedam Balearibus arva
Proxima, non memini nomen: neque noctua Cretam,
Nec nemus Aegeriae sonipes, nec vir bonus urbem.

FVLICA.

Vir bonus est animal rarum, paucasque per urbes,
Et per rura locos habet; est rarissima virtus.

CORNIX.

Insanis, Fulica, insanis, tot in urbibus hostes
Sunt tibi, quot cives; hi nos tondentque, pilantque;
Non habita nostri capitis ratione, coartant
Nos ad furta, ipsi mox ad suspendia mittunt.
Fas igitur, si quid nostris sese unguibus offert
Radere, & insidiis, ac nostra indagine captos,
Deplumare levi tactu, sensim, & pede pressim:
Si videt, excusa; si sunt secreta negato
Furta; quod occultum est, non est iniuria furtum,
Quicquid habent, noster labor est, industria nostra est.

FVLICA.

Iam longe egrederis metam rationis, & aequi.

CORNIX.

Oh Fulica, improbitas urbana coinquinat orbem!
Vnde tot in terras veniunt aestate procellae,
Flumina, venti, amnes, & grando? vidisse recordor
Tellurem tremere, ac postes, & tecta labare,
Solem obscurari, noctu obtenebrescere lunam.
Cur segeti lolium, messi dominantur avenae?
Vva in capreolos transit? caligine verni
Depereunt flores? mala parturit omnia nobis

Haec

Haec civile nefas: pariet quoque plura deinceps.
Vnde venit furor armorum, bellique tumultus?
Qui genus omne male secum vehit, omnibus urbs est
Fons, & origo malis; descendit ab urbe Lycaon,
Deucalion, Pyrrha cum coniuge rusticus; ille
Intulit illuviem terris, hic abstulit; ille
Abstulit humanum terris genus, intulit iste.
Si terra (ut perhibent) flammis abolebitur umquam;
Istud grande nefas ulla descendet ab urbe.

FVLICA.

Oh Cornix, iam pone modum sermonibus istis!
Audio iamdudum pueros de pulte loquentes:
Caetera, si quicquam superest, post prandia dices;
Pulti indulgendum monet, urbibus hora relictis.

AEGLO-

AEGLOGA SEPTIMA.

ARGVMENTVM.

Galbula paſtores ad ſydera laudibus effert;
Et canit, ut viſo verſus ſit Numine Pollux.

INTERLOQVVTORES.
ALPHVS, ET GALBVLA.

ALPHVS.

GAlbula quid ſentis? Pollux doctiſſimus olim
Fiſtulicen, ſubito quodam quaſi numine tactus,
Deſtituit, calamos, tunicas, armenta, ſodales;
Bardocucullatus caput, ut campeſtris alauda,
Quatuor ante dies in relligioſa receſſit
Clauſtra; ferunt illum pecudes, dum ſolus in agris
Paſceret, effigiem quandam vidiſſe Deorum:
Coetera non memini; ſed tu quid Galbula ſentis?

GALBVLA.

Vt dixere patres, faciens primordia rerum
(Magna canam, nobis quae quondam tradidit Vmber)
Inſtituit Deus agricolas, pecoriſque magiſtros:
Primus agricultor rudis, immanſuetus, & aſper;
Qualis humus, ſegnis, lapidoſa, rebellis aratro:
At ovium primus paſtor mitiſſima proles;

Inſtar ovis, quae bile caret, quae lacte redundat;
Mitis erat, nullis umquam paſtoribus aſper:
De grege ſaepe ſuo ſacrum ponebat ad aras;
Nunc ove, nunc pingui vitula faciebat, & agno
Saepius, & magno Divos ambibat honore.
Sic profecit apud Superos, ſic Numina flexit,
Vt fuerit primo mundi naſcentis ab ortu
Tempus ad hoc, coelo pecoris gratiſſima cura.
Aſſyrios quondam (ſed neſcio nomina, curae
Diminuunt animum) Deus ex paſtoribus olim
Conſtituit reges, qui poſtea murice, & auro
Conſpicui, gentes bello domuere ſuperbas.
Quum Paris iliaca tria Numina vidit in Ida,
Aut Paris, aut alius, puerum qui obtruncat ad aram,
Paſtor erat, quando coeleſti exterritus igne,
Venit ad oſtentum pedibus per paſcua nudis:
Paſtor erat Moſes, Moſes a flumine tractus:
Exul apud Graios Amphryſia paſtor Apollo
Rura peragravit, poſito Deitatis honore:
Coeleſtes animi, Chriſto ad praeſepia nato,
In caulis cecinere Deum paſtoribus ortum,
Et nova divini partus miracula docti
Paſtores primi natum videre Tonantem,
Et ſua paſtores infans regnator Olympi
Ante Magos, Regeſque dedit cunabula ſcire.
Se quoque paſtorem Deus appellavit, oveſque
Mitibus ingeniis homines, & mentibus aequis.
Et ne vana putes haec ſomnia, nuper ab urbe
Rus veniens, picto perlegi haec omnia templo.
Sunt pecudes pictae, parvi ſub matribus agni
In tellure cubant, ingens equitatus ab alto
Monte venit; radiant auro diademata divum,
Et ſuſpenſa tenent vaga lumina praetereuntum:
Non igitur mirum, noſter ſi Numina Pollux

Vi-

Vidit; amant villas, & oves, & ovilia Divi:
Simplicibus praesens Deus est, offenditur astu.

ALPHVS.

Vera refers, pecori si sint innoxia nostro
Pascua, vidi asinum, vidi praesepe, bovemque
Iam memini turbae venientis, & ora videre
Indica iam videor Regum sua dona ferentum:
Vnum oro quaenam Polluci occurrit imago?
Galbula si nosti, ne sit labor omnia fari.

GALBVLA.

Et novi, & memorare libet; res digna relatu,
Res digna auditu, pia, sancta, imitabile factum!
Durus, & immitis pater, atque superba noverca,
Pollucem graviore iugo praellere iuventae
Tempore, quum dulces animos nova suggerit aetas;
Et quum iam invalidae longo sub pondere vires
Deficerent, nullaque odium mansuesceret arte,
Constituit tentare fugam, una volentem
Ire diu tenuit; nimis impatienter amabat:
Error enim communis amor iuvenilibus annis;
Res est fortis amor, violentia fortior: ivit,
Et tales abiens (mihi namque solebat amores
Enarrare suos) moesto dedit ore querelas.
Oh virgo, lachrymae ne tuis solventur ocellis,
Quum te tam charo cernes ab amante relictam?
Vlla ne discessu duces suspiria nostro?
Tu ne mei crudelis eris forte immemor unquam?
Vsque adeo ne tuum poterit frigescere pectus,
Pectus, quod totiens tot lumina fletibus implet?
Tu ne trahes crebros gemitus, & pallida fies?
Cerno oculos, cerno lachrymas, cerno anxia corda
Virginis; heu tantum qua dissimulare dolorem

Fas erit arte? dolor duplex mea pectora torquet,
Illius, atque meus; sed fas mihi flere, quod illi
Non licet; occultus longe magis aestuat ignis.
Incolumem mihi vos Divi servabitis illam,
Vt quando exilio repetam mea rura peracto,
Fiat amor felix, saltem semel ante senectam.
Talia pergebat memorans, voluitque reverti;
Tantus amor iuvenem, vis tanta furoris agebat:
Sed iam iacta fuga cunctis erat alea nota.
Fronde sub herculea fessus moerore sedebat,
Ecce puellari virgo stipata corona,
Ora, manus, oculos, habitumque simillima Nymphae,
Et tali affata est puerum sermone dolentem:
Chare puer quo tendis iter? vestigia verte:
Nescis, heu nescis, quo te via ducat, & audes
Ignotis errare locis, nihil insidiarum
Per campos ratus herbosos, nihil esse pericli?
Omnia tuta putas, & quod placet, utile credis,
More iuventutis stolidae; collectus in orbem
Saepe latet molli coluber sub graminis umbra;
Est facile incautos offendere: parvulus infans,
Innocuos rutilum digitos extendit in ignem,
Nec nisi iam laesus vires intelligit ignis.
Haec regio intrantes aditu consuevit amoeno
Fallere, delicias offert, & gaudia; verum
Ingressis, quum triste nihil superesse putatur,
Mille parat laqueos, & mille pericula profert:
Trames hic, ut collem gressu superaveris illum,
Ducit in umbrosam sylvam, crudele ferarum
Hospitium, loca tetra, situ, & caligine opaca:
Quisquis eo deceptus abit, remeare vetatur;
Et piceis primum velatur lumina vittis,
Deinde per omne nemus, dumeta per aspera tractus,
Transit in effigiem monstri; dum volvere linguam

Atque

Atque loqui tentat, mugit; dum attollere sese
Credit, humi graditur quadrupes, neque suspicit astra:
Ima tenebrosa vallis lacus aequore nigro
Occupat, & nigris mons plurimus imminet undis.
Huc tracti in stygios latices, altumque barathrum
Praecipites dantur, rapidaque voragine mersi,
In styga, & aeternas erebi rapiuntur in umbras.
Heu quot pastores istis ambagibus acti
Cum gregibus periere suis! ego sedula semper
Monstro iter; hic ad opem vigilo indefessa ferendam.
Tolle moras igitur, mortis fuge blanda propinquae
Atria, secreti tutam pete littoris oram,
Qua contra Idalios fluctus, mihi tollit in altum
Aera Carmelus viridi caput arbore cinctum:
Primus hic antiquis patribus speluea, domosque
Praebuit arboreas; intra nemus ilice densum:
Ex hoc in vestros deducta cacumine montes
Relligio venit; sicut de fonte perenni
Flumina; & ex uno multi genitore nepotes.
Illius, in sylvis abies ubi plurima surgit,
Pinguis ubi piceae sudat liber, & terebinthi,
Innocuum postquam feliciter egeris aevum,
Mox tua mutatis aetas renovabitur annis;
In loca te tollam meliora virentia semper:
Immortalis eris Divum comes; ire per astra
Inter Hamadryades, & Oreadas, atque Napaeas,
Flore coronatas caput, & redolentibus herbis,
Fas erit, ac super, & subter cognoscere coelos:
Sic effata leves virgo decessit in auras.
Tum sua iuravit Pollux mutata repente
Pectore, & extemplo victum expirasse furorem.
Non aliter quam flamma cadet, si ardentibus agris
Effluat, & tota praeceps Padus evomat undas;
Sic abiit crudelis amor, qui saepe pharetram

In iuvenem, dum principiis obſtaret amandi,
Dum tepet, ac timide inſanit, conſumpſerat omnem:
Sic igitur Pollux in clauſtra ſilentia venit.

ALPHVS.

Sunt quibus aſpirent etiam nolentibus ultro,
Sunt quibus infenſi ſine cauſa, & crimine Dii ſint.

GALBVLA.

Quod nos in pecudes, in nos id iuris habent Dii.
Hoc rus ſcire ſat eſt, ſapiant ſublimius urbes.
Sic docuit rediens aliquando ex urbe ſacerdos
Ianus, & in magno dixit ſibi codice lectum.

ALPHVS.

Sol cadit, & Baldi vix ſumma cacumina tangit;
Nos quoque iam ſero cum ſole recedere tempus.
Galbula, ſarcinulas ne ſit tibi ferre moleſtum:
Pera levis, levis eſt & cantharus omnia parvus
Ferre labor ſero, grave mane, ſed utile pondus;
Ipſe pecus ducam, mihi pars erit iſta laboris.

AEGLO-

AEGLOGA OCTAVA.

ARGVMENTVM.

Ille canit monteis, rura hic campestria; Nymphae
Polluci visae laudes, & festa canuntur.

INTERLOQVVTORES.
CANDIDVS, ET ALPHVS.

CANDIDVS.

HOrrida solstitio tellus sitit, Alphe, reverso;
Ad solitos montes, ubi ros in gramine, & aestas
Mitior, haec armenta monet deducere tempus.

ALPHVS.

Aereos montes, & summa cacumina longe
Prospicio; quid sint montes (tibi vera fatebor)
Nescio: semper enim campestria rura, lacusque
Incolui; montanus ager qua fruge redundat?

CANDIDVS.

Oh rude, & illepidum ingenium! prope flumina semper
Versatus, fulicae in morem, limosa per arva;
Sunt ubi ranarum, culicum, pulicum, cimicumque
Lustra, inter salices, ulvas, viridesque papyros;
Irridere audes, & nauci pendere montes.

Vnde

Vnde fluunt amnes, templis ubi tanta locandis
Marmora caeduntur? fulgens ubi nascitur aurum?
Quae parit antennas tellus, medicamen ab herbis
Dic quibus est, nisi montanis? de vertice Baldi
Saepe melampodion legi, medicina capellis
Nulla magis praesens; quondam Valsasinus Aegon
Tradidit hoc, dum vere sues castraret, & agnos;
Tradidit, & dixit, solus medicamen habeto.
Dic ubi castaneae plures? ubi copia maior
Glandis? in excelsis fontes, & pascua vidi
Montibus, artocreas, & pingui polenta comedi:
Sunt populi fortes illic, robusta iuventus,
Lata pedes, callosa humeros, nervosa lacertos,
Hispida, dura manus, moli indefessa ferendae.
Vallibus ex illis onera ut navalia curet
Confluit huc, nullum est hominum genus aptius urbi;
Sive velis castrare pecus, seu scindere fagos,
Sive fimum ferri e stabulis, haurire cloacas,
Latrinas curare, viamque aperire coactis
Sordibus, & scalis puteos descendere in altos;
Ingenio callent, & duro robore pollent.
Sed quid opus multis? subeunt opus omne, popinis
Inservire, focos lignis cumulare, veruque
Artifici versare manu, dare libera fumo
Spiramenta, boum ventres ad flumina ferre,
Verrere humum immundam scopis; doctissima gens est;
Quodque magis miror, semper sub pondere currunt:
Cotibus in duris oriuntur, & ardua vivunt
Per iuga, cum capreis abitant spelaea ferarum.
Adde quod in coelum brevis est e montibus altis
Transitus, erectam caput usque ad nubila tollunt;
Nubila trascendunt aliqui, puto sydera tangant.
Esse locum memorant, ubi surgit ab aequore Titan,
Qui (nisi dedidici) contingit vertice lunam;

Et

Et vixiſſe illic hominem, ſed poſtea abactum
Improbitate gulae; quod ſcilicet omnia poma
Manderet, & magno ſervaret nulla Tonanti.
Hinc divi, ſanctique patres in montibus altis
Delegere domos tacitas: Carthuſia teſtis,
Carmelus, Garganus, Athos, Laureta, Laverna,
Et Sina, & Soractis apex, umbroſaque Vallis,
Et iuga Nurſini fato ſenis inclyta, & altis
Abietibus turrita caput Camaldula ſanctum.
Coetera praetereo; nec enim ſermonibus iſtis
Omnia complecti ſtatuo: montana frequentant
Culmina coelicolae; ſed anas, & mergus, & anſer,
Ibis, onocrotalus, milvi, fulicaeque, paludes.

ALPHVS.

Inter montanae tantos regionis honores,
Cur de meſſe nihil? nihil eſt de palmite dictum?
Haec tamen humanae duo ſuſtentacula vitae
Maxima monticolae veniunt e rupibus ad nos,
Hordea mercatum, torvi, fuligine tincti,
Setoſi, & macie affecti, laceri, ac ſituoſi
Indigenae oſtendunt quae ſit natura locorum.
Sed quod montanis de relligionibus, inquis,
Retulit in mentem quae de Polluce feruntur:
Quae Dea, ſi noſti, viſa eſt, quae, Candide, Nympha?
Dic age; nam coeptum certamen inutile nobis;
Vtilior ſermo de relligione tenendus.

CANDIDVS.

Galbula, qui ſolitus pecudes in paſcua tecum
Ducere, te ſatis hoc potuit docuiſſe quod optas.

ALPHVS.

Plura quidem Polluce ſuper narrata, ſed ipſam

Nec docuit Nympham, nec me quaesisse recordor.
Nunc subiit mentem, quum relligionis oborta est
Mentio, & illarum visa est mihi maxima laudum.

SYLVANVS.

Non erat illa Dryas, neque Libethris, nec Oreas:
Venerat e coelo, Superum regina, Tonantis
Mater anhelanti pacem latura iuventae:
Huic Tethys, huic alma Ceres famulantur, & ipse
Aeolus aequoreis ventos, qui frenat in antris:
Hanc Deus astrorum flammas super, atque volantes
Solis equos, supra fulgentem Cassiopaeiam
Extulit, & sacram bis seno sydere frontem
Cinxit, & adiecit subter vestigia lunam.

ALPHVS.

Candide, mira canis, nullis pastoribus umquam
Cognita; quid Tethys, quid fulgens Cassiopaeia,
Aeolus aequorei ventos quis frenat in antris,
Qui sunt solis equi? magna, atque ignota recenses!

CANDIDVS.

Sydera sunt partim, partim sunt nomina prisca,
Omnia quae Pollux mihi quum narrasset, in aedem
Duxit; & ista sacer paries, ait, omnia monstrat.
Pictus erat paries signis, & imagine multa:
Omnia non memini, mens est mihi debilis; ista
Vix tenui, dum saepe animo volvo, atque revolvo;
Saepe recordari, medicamine fortius omni.
Ista potest nigro depellere nubila coelo,
Ista potest siccis fluvios dare frugibus imbres,
Quum volet, ista novos duris emittere campis,
Quum volet; emissos poterit restinguere fontes:
Qui modo sunt steriles, & nudi gramine campi,

Si

Si volet, in pingues poterit convertere glebas:
Frigida Saturni quum ſydera ſuſcipit atro
Scorpius hoſpitio, non auferet hordea grando,
Nec domus ardebit; nam tunc haec omnia coelum
Dicitur iratis in terram effundere ab aſtris;
Si volet, haec nobis cuſtodiet omnia Virgo:
Si favet haec nobis, complebunt horrea meſſes;
Adiicietque gregi ſemper foetura gemellos:
Si pecus infelix erit, & ſine vellere, ſolo
Ipſa poteſt nutu dare lac, dare vellera, & agnos,
Et curare greges, omnemque avertere morbum;
Nil opus eſt modo Pana ſequi, neque coetera ruris
Numina, quae veteres fruſtra coluiſſe feruntur.
Vidi circum aram Nymphae pendere capellas,
Plauſtra, boves, & oves; hic Iani vidimus hircum,
Et memini inſcriptam verſu hoc legiſſe tabellam;
Votum pro ſalvo Iannus breve reddidit hirco:
Dumque ea perlegerem, Pollux haec carmina ſupplex
Ante aram genibus poſitis in marmore, dixit:
Oh Dea, quae ſervas urbes, & rura, precamur,
Ne Padus exundet, ne ſtrix nocturna per umbras
Hauriat infantes, nec eant per compita larvae;
Diva fave agricolis talpas occide, malignam
Aggeribus peſtem; gelidis ſata laeta pruinis,
Quando bruma venit, conſpergere Diva memento,
Ne tineae rodant anno frumenta ſequenti:
A boreae flatu pingues defende mariſcas,
A gruis ore fabas, & ab anſere farra, paluſtri
A ſerpente boves, a vulpe & fure cohortem,
A brucho erucas, a bruma & grandine vites,
A vi & fraude lupi pecus, a rubigine fruges,
A rabie catulos, a flamma & fulmine villas,
A murum inſidiis petaſonem, a milite pernas,
A campe, & pigris; pigris.....heu coetera neſcit

Mens oblita sequi; numerus me in verba reduxit
Saepius, in numerum rediens oblivia forsan
Mente abigam; retro gradior, numerumque recurro.
A murum insidiis petasonem, a milite pernas,
A campe, & pigris virides limacibus hortos.
Alphe, viden' quae vis numeri? iam coetera cerno.
A tonitru reboante cados, a frigore foetas,
A gravibus vitulos oestris, a gutture porcos
Anginoso; operas pubes ne rustica perdat,
Adsis, oh Dea, nec laedant examina fuci,
Neu milium furentur aves, neu vellera sentes
Succida, neu lappas apprendat lana sequentes.
Diva gubernatrix hominum, custodia vatum,
Diva laborantum requies, medicina dolentum,
Et tutela gregum, nostris praecor annue votis.
Talibus orabat Pollux; ego postibus haerens,
In baculum pede porrecto recitata notabam
Altius, ac memori condebam singula mente.

ALPHVS.

Candide Polluci pro sollicitudine tanta,
Pro precis officio, pro relligione; putas ne
Dandum aliquid nobis? pietate peculia crescunt.

CANDIDVS.

Quidni aliquid dandum est, opus est persolvere crates.

ALPHVS.

Rusticus es, crates etenim pro gratibus inquis.

CANDIDVS.

Crates, & grates parvo discrimine distant.
Dandum aliquid, neu bis detur, sine pascha reverti,
Quando sacerdotes commissa piacula solvunt.

AL-

ALPHVS.

Quid dabimus? vituli gravis est iactura; vel agnum,
Vel leporem; pietas etiam laudabilis anser.

CANDIDVS.

Dona docet tempus: lepores brumalia dona,
Quando nive hyberna currendi erepta facultas:
Anser ad autumni finem, nonasque Kalendas
Pertinet: aestatis, coryli, nova poma, racemi,
Munera: lactantes hoedi sunt veris, & agni.
Tunc si de cordis aliquem conspexeris aegrum
Ac tenuem, qui nec vendi, nec vivere possit,
(Munus erit solemne satis) donabimus agnum.
Ipse mihi, quum iam regredi post prandia vellem,
Carmina de Nymphae solemnibus eruta fastis
Tradidit; & dixit, si quando gravabere curis,
Haec cane, pro mentis medicamine carmen habeto.
Quando Molorchaeo Titan descendit ab astro
Pronus, & Astraeae iam limina virginis intrat,
Virgine laetetur pubes, & cana senectus;
Transiit ad Superos, & olympica regna petivit:
Ogdoas, ut toto iam tertia fluxerit orbe,
Festa dies iterum, natalia Virginis aras
Ignibus illustrant, offert nova liba sacerdos:
Libra redit noctes properans aequare diebus,
Exultat Picenus ager, vehit Adria puppes
Illyricas, & Chaonias; cum mercibus adsunt
Tusci, Vmbri, Veneti, Siculi; Lauretica Templa
Cum donis turmatim adeunt, votisque solutis
In sublime iugum, laeti ad commercia tendunt:
Et quum Thessalicas cursu breviore sagittas
Sol subit, & frigent urentibus arva pruinis,
Clausa Gynaecei sacris penetralibus, hausit

Cor-

Corde Deum toto, proprios oblita parentes:
Et quum femiferi fugiens Chironis ab arcu
Languet ad hyberni glacialia limina capri,
Induat ornatas, & mas, & foemina veftes,
Laetitiaque diem celebrent, quo femine facro
Coniugis annofus gravidam patres imbuit alvum;
Illa dies etenim fanctae primordia Nymphae
Fecit, & in noftras vetuit defcendere fordes.
Quum volat, imbrifera lampas phoebea fub urna
Ad vernos reditura dies, iam proxima veri,
Ite nurus omnes, facros altaribus ignes,
Thura focis, faculas manibus date, ducito pompam;
Attulit in templum nova dona puerpera Virgo.
Quando gregis princeps aurato vellere fulgens,
Incipiet zephyris aperire tepentibus annum,
Et dare maiores luci, quam noctibus horas,
Aliger occultam redeat paranymphus in aedem,
Et nova miranti referat mandata Puellae,
Fefta dies Tufcis, populos de collibus omnes
Cogit, & arnicolas vocat ad Florentia Templa:
Tum quoque, fed tenui Virgo prius intervallo
Nupfit; & haec teneris lux eft celebranda puellis.
Quando fub extrema cancri teftudine Phoebus
Volvitur, & revehit vicina canicula morbos,
Thure piam celebrate diem; redit hofpita mater
In proprios a matre lares, altaria circum
Primitias Cereris geminae fufpendite matri.
Ifta dedit Pollux, vigilans quae in montibus olim
Fecerat ad pecudum caulas, dum nocte ferena
Militiam coeli, fparfofque examinat ignes.
His quoque plura dedit; fed carmina plura referri
Non finit extremum deponens vefpera folem.

AEGLO-

AEGLOGA NONA.

ARGVMENTVM.

Faustulus expertus Romani frigida tractus
Pascua, pastorum mores exponit iniquos.

INTERLOQVVTORES.
FAVSTVLVS, ET CANDIDVS.

FAVSTVLVS.

CAndide, quo casu patriis procul actus ab oris,
Haec in rura venis? hic pascua nulla, nec amnes,
Nec liquidi fontes, nec ovilia rura, nec umbrae;
Et tamen assiduos gregis haec pascuntur in usus.

CANDIDVS.

Faustule me noster Corydon (quae plurima quondam
His armenta locis habuit, magnamque peculi
Congeriem fecit) pecori me credere adegit
Esse salutares istis in montibus herbas:
At postquam segnes agros, & inertia saxa
Vidimus, & siccis arentem fontibus undam,
Poenituit longaeque viae, patriaeque relictae.

FAVSTVLVS.

Postquam te incolumem saltus intrare latinos
Con-

Contigit, antiqui potes haec mea tecta fubire
Iure fodalitii; funt hic mihi pauperis agri
Iugera pauca, meae vix fufficientia vitae;
Quicquid id eft, commune puta; tibi forfitan ulla
Profpera fors aderit; fortuna fimillima vento eft:
Cariceae fuccede cafae, dum praeterit aeftus;
Dum grex in gelida procumbens ruminat umbra,
Pone pedum, difcumbe parum, recreabere potu:
Potu opus eft, potu ifte gravis compefcitur aeftus;
Pocula prende, fluet melius poft pocula fermo.

CANDIDVS.

Pocula quis tanta demens aeftate recufet?

FAVSTVLVS.

Vina fitim minuunt, animique doloribus obftant:
Vina ut amicitias, vires ita corporis augent.

CANDIDVS.

Haec parit ora bonos (fi patria vina) racemos.

FAVSTVLVS.

Funde iterum; potare femel, guftare; fecundus
Colluit os potus, calefacta refrigerat ora;
Tertius arma fiti bellumque indicere; quartus
Aggreditur; quintus pugnat; victoria fexti eft;
Septimus (Oenophili fenis, haec doctrina) triumphat.

CANDIDVS.

Res eft confiliis fecura fidelibus uti;
Vtile doctrinis praebere fenilibus aures.
Victa fitis, mens aegra manet, curaeque fuperfunt:
Vt fedata fitis, fic mens fedabitur aegra.

FAV-

FAVSTVLVS.

Funde merum, bibe cardiaco medicina dolori haec:
Vtitur ad curas isto medicamine Roma.

CANDIDVS.

Omne opus atque labor vult intervalla: quiescat
Obba purum; contra muscas impone tabellam.
Non madet imbre dies, nec habet nox humida rorem;
Crescere nec duris possunt in cotibus herbae;
Importuna fames, labor improbus, aeris ardor
Confecere gregem macie, vix debile corpus
Spiritus aeger agit, vacua cute porrigit ossa
Clunis, & exilis cava contrahit ilia venter:
Hic aries qui fronte lupos cornuque petebat,
Nunc ove debilior, pavidoque fugacior agno est.
Haec mihi; sed nimium me ardentia vota ferebant;
Omnia divino praedixerat omine cornix:
Vix egressus eram limen, cum tristia portans
Auguria a dextra venit, tegetisque sinistrae
Culmine consedit, pressoque minaciter ore
Vociferans, iter auspicio prohibebat aperto.
Heu pecus infelix, quod lacte & prole solebas
Affluere, in nostris licuit dum pascere campis
Gramina dum quaeris succi plus, perdis eundo,
Quam referas pastu; simul hic tabescimus ambo!
Tu tenui victu, curis ego victus amaris.
Oh nostrae regionis opes, oh florinda prata,
Oh campi virides, oh pascua laeta feraxque,
Et numquam sine fruge solum, currentia passim
Flumina per villas, rivi per rura, per hortos!
Hinc pecus, hinc agri pingues, sub sydere cancri,
Quum tritura sonat passim, quum Iulius ardet,
Arva virent, textae lento de vimine sepes

Poma ferunt, redolent ipſis in vepribus herbae.
Oh nemorum dulces umbrae, molleſque ſuſurri,
Quos tecum memini gelidis carpſiſſe ſub umbris,
Turturis ad gemitus, ad hirundinis ac philomenae
Carmina, quum primis reſonant arbuſta cicadis!
Aura ſtrepens foliis nemorum veniebat ab euro,
Et baccata ſuper tendebat brachia cornu.
Ipſe ſolo recubans, pecudes geſtire videbam;
Atque alacres teneris luctari cornibus agnos.
Poſt ſomnos, per gramen humi nunc ore ſupino,
Aut flatu implebam calamos, aut voce canebam,
Pectore nunc prono rutilantia fraga legebam.

FAVSTVLVS.

Vivere tum felix poteras, dicique beatus:
Sed bona, quod nondum fueras expertus acerbam,
Vilis erat tibi; teque ideo fortuna reliquit.
Quando iterum veniet (veniet ſi forſitan unquam)
Sicut capreolis ſurſum nitentibus haerent
Stipitibus vites ſtringuntque tenaciter ulmos;
Sic illam tu prende manu; neu deſere prenſam:
It, redit, effigiem mutat, nec imagine conſtat,
Par lamiis, quas nocte ferunt errare per umbras.
Mobilis, ut facies, ita mens deludere gaudens:
Quod dederat, tollit, penſi nihil, omnia caſu;
Qui nimium metuunt, ſapiuntve repellit & odit.

CANDIDVS.

Delicias patrii quotiens reminiſcimur agri,
Ferre tot erumnas animo non poſſumus aequo.
Sed quo mente feror, caſu afflictatus acerbo?
Vnde magis crucier, felicia tempora volvo?
Maius adeſt; florent vites, humileſque geniſtae,
Iam ſpicata ſeges; malus iam punica multo

Flo-

Flore ruber, redolent sepes albente sabuco
In patria, per rura Padi, per pascua Minti;
Hic vero nec dum incipiunt pubescere montes:
Quod si vere solum torpet, quid frigora brumae,
Solstitiumque feret, gelidis quum terra pruinis
Albicat, & rapido quum coelum incanduit aestu.
Sunt tamen hic armenta, quibus cutis uvida, cervix
Non signata iugis, gemino frons ardua cornu,
Luxuriansque toris pectus; nisi pabula carpant,
Non erit hac tanta humectum pinguedine corpus.

FAVSTVLVS.

Haec armenta, quibus caput a tellure levatur
Altius, & cui sunt longa internodia crurum,
Cuncta vorant, herbas primum, mox ore supino
Arboreas frondes, summaeque cacumina sylvae;
Hoc imbelle pecus, quod humi nascentia tantum
Gramina decerpit, vacuis ieiunat in arvis.

CANDIDVS.

Quid verbis opus est? cunctis animantibus una est
Conditio, semper maiora minoribus obsunt.
Agna lupo, mites aquilis sunt praeda columbae;
Innocuos delphin venatur in aequore pisces.
Vnde fit hoc? certe res prodigiosa videtur,
Haec loca, si procul hinc videas e rupibus altis,
Pingue solum, & multo vestitum gramine dicas;
Quo magis appropias, tanto magis omnia sordent.

FAVSTVLVS.

Hoc est Roma viris, avibus quod noctua; trunco
Insidet, & tanquam volucrum regina superbis
Nutibus a longe plebem vocat: inscia fraudis,
Turba coit, grandes oculos mirantur, & aures,

Turpe caput, roſtrique minacis acumen aduncum:
Dumque ſuper virgulta agili levitate feruntur,
Nunc huc, nunc illuc, aliis veſtigia filum
Illaqueat, retinent alias lita vimina viſco;
Praedaque ſunt omnes, verubus torrenda ſalignis.

CANDIDVS.

Oh bellum hoc, poterit dici nihil aptius unquam!
Sed procul en coluber tortos in pulvere greſſus
Flectit, & exertis ſitiens ferit aera linguis.

FAVSTVLVS.

Candide, quae moneo memori ſub pectore ſerva:
Quando inter ſylvas graderis, defende galero
Lumina, namque, rubi praetendunt ſpicula longis
Dentibus, & curvus diſcerpit pallia mucro;
Nec depone pedum, multaque armare memento
Cote ſinum, ne te ſubito novus opprimat hoſtis;
Et perone pedem tegito, ſpineta colubris
Plena, hominum vitae morſu inſidiantur amaro:
Et nunc longa dies aeſtu facit acre venenum;
Mille lupi, totidem vulpes in vallibus iſtis
Luſtra tenent, & quod dirum ac mirabile dictu eſt,
Ipſe homines (huius tanta eſt violentia coeli)
Saepe lupi effigiem, moreſque abſumere vidi;
Inque ſuum ſaevire gregem, multaque madere
Caede ſui pecoris; factum vicinia ridet,
Nec ſcelus exhorret, nec talibus obviat auſis.
Saepe etiam miris apparent monſtra figuris,
Quae tellus affecta malis influxibus edit:
Saepe canes tantam in rabiem vertuntur, ut ipſos
Vincant caede lupos, & qui tutela fuerunt
Hoſtiles ineunt animos, & ovilia mactant.
Fama eſt Aegyptum coluiſſe animalia quaedam,

Et

Et pro numinibus multas habuisse ferarum:
Ista superstitio minor est, quam nostra ferarum.
Hic aras habet omne genus, contraria certe
Naturae res atque Deo, qui dicitur olim
Praeposuisse hominem cunctis animantibus unum.
Saepe etiam morbosa aestas, & pestifer annus
Ingruit, & passim languens pecus omne per arva
Sternitur; extinctae dum balat ad ubera matris
Agnus obit, moritur duro sub pondere taurus.
Nec modus est morbo, non est medicina veneno;
Sed vicina domus vicino a limine mortem
Haurit, & assidue sumunt contagia vires:
Ista feras raro pestis rapit, utile semper
Fert pecus, extinctas caulas epulantur atroci
Dente lupi, nostraque ferae iactura opulescunt.

CANDIDVS.

Heu heu quam praeceps miserum me insania traxit!
Credere fallaci gravis est dementia famae.
Romuleos colles, Tiberim, Romanaque tecta
Audieram, & studio mens est accensa videndi,
Ducendique bonis in tot praestantibus aevum:
Accessi cum parte gregis, tentoria demens,
Totum pene larem, cum pastoralibus armis
Trans iuga summa tuli, mulctralia, cymbia, ahena,
Et caçabos, & quo formatur caseus orbem
Fagineum; impensam, atque operas amisimus omnes.
Quid faciam? quo me vertam? sperata negantur
Pabula, tot casus, tot ubique pericula; cogor
In veteres remeare casas, & coepta fateri
Consiliis egressa malis, iterumque per aestus,
Et montana pati longos per saxa labores.
Heu pecus infelix, oh levo sydere pastor
Huc avecte! fuit multo praestantius istud

Igno-

Ignorasse solum, patrioque in limine tutos
Consumpsisse dies, gelidis senuisse sub antris,
Atque Padi circum ripas, Athesisve per agros,
Aut ubi per virides campos, & pascua nota
Mintius it, vel qua vitreo natat Abdua cursu
Consedisse, gregem pavisse salubribus herbis.

FAVSTVLVS.

Te tua credulitas, & me mea fallit in horas:
Vidi ego supremae qui prosperitatis habebant
Culmina, dum laudata petunt, cecidisse; nec unquam
Emersisse malis: facit experientia cautos.
Hi prius explorant, & non laudata sequuntur:
Omnia laude carent quae sunt: meliora fuerunt,
Non nego, quae famam retinent, ac nomina servant.
Cuncta suis pollent vicibus: Luna, Adria, Troia,
Salvia, quas nobis memorabat saepius Vmber,
Nomine sunt solo; delevit coetera tempus.
Si minor est patriae forsan modo gloria nostrae;
Res tamen est melior: laudatae gloria Romae
Quanta sit, in toto non est qui nesciat orbe.
Fama quidem manet, utilitas antiqua recessit:
Illi prisca, quibus maduerunt pascua fontes;
Nunc humore carent, venis aqua defuit haustis;
Nulla pluit nubes, Tyberis non irrigat agros.
Tempus aquaeductus veteres contrivit, & arcus;
Et castella ruunt; procul hinc, procul ite capellae.
Hic ieiuna fames, & languida regnat egestas.
Hic tamen, ut fama est, & nos quoque vidimus ipsi,
Pastor adest, quadam ducens ex alite nomen,
Lanigeri pecoris dives, ditissimus agri,
Carmine qui priscos vates, atque Orphea vincat;
Orphea qui traxit sylvas, & saxa canendo;
Hic alios omni tantum virtute Latinos

Ex-

Exſuperat, quantum Tyberim Padus, Abdua Macram,
Lenta ſalix iuncum, tribulos roſa, populus algam.
Credimus hunc illi ſimilem, cui Tityrus olim
Bis ſenos fumare dies altaria fecit:
Hic ovium cuſtos ipſo vigilantior Argo
Daphnide nec ſolum, ſed eo qui dicitur olim
Admeti paviſſe greges per Theſſala rura;
Doctior, omne pecus Solymi curare magiſtri
Dignus, & antiquo dignus ſuccedere patri,
Qui fuit Aſſyrii pecoris poſt retia paſtor:
Iſte poteſt ſervare gregem, depellere morbos,
Humectare ſolum, dare paſcua, ſolvere fontes,
Conciliare Iovem, fures arcere, lupoſque.
Si favet iſte, mane; quod ſi negat iſte favorem,
Candide coge pecus, melioraque paſcua quaere.

AEGLO-

AEGLOGA DECIMA.

ARGVMENTVM.

Nunc verae, & falsae discrimina Relligionis
Narrat, ovesque pias Carmeli separat hoedis.

INTERLOQVVTORES.

CANDIDVS, BEMBVS, BATRACHVS, ET MYRMIX.

CANDIDVS.

MAxima pastores agitat discordia, Bembe,
Qui Solymos colles, Galilaeaque rura colebant:
Batrachus hinc, Myrmix illinc certare parati,
Iudice te paucis, si non audire recusas.
Et nisi te revocant maiora negocia, dicent;
Tu pater es vatum, tu scis componere lites,
Iurgiaque, & blandis convicia tollere verbis:
Te quoque Pierios fama est potasse liquores,
Et vidisse Deas, quibus est custodia sacri
Fontis, & Eurotae compos, ac Phocidis arva,
Ipse ubi fronde sua tibi tempora cinxit Apollo,
Dona dedit citharam, nervos, & eburnea plectra.

BEMBVS.

Dicite quandoquidem tepidos admovit ad ignes
Nos hyberna dies; dum non finit ire per agros
Bru-

Bruma gregem, flatu boreas dum saevit acuto,
Dum riget omne solum, tectis dum plurima pendet
Stiria, dum torpent sub aquis glacialibus amnes;
Ocia damnantur, quae nulla negocia tractant.

MYRMIX.

Pastores genus infelix! aestate vagamur
Pro grege solliciti; sed, nos quum frigidus imber
Continet in stabulis; lites, & iurgia surgunt

BATRACHVS.

Qui veteres audent ritus mutare, suoque
Arbitrio, & nullis ducunt sub legibus aevum,
Hi sunt, o Myrmix, qui bella domestica gignunt,

BEMBVS.

De veteri ritu, de consuetudine patrum,
Rixa igitur vobis? leges, moresque parentum,
Batrache dic, dic cur nostrum venistis in orbem,
Ex Phoenice solo? nos pascua vidimus illa,
Vidimus herbosos felici uligine campos:
Vertice Carmeli vitreis uberrimus undis
Fons cadit, & rauco densum nemus irrigat amne;
Vidimus & Iordanis aquas, ubi maximus olim
Pastor oves mergens scabiem resecavit avitam:
Amnis hic a Libano veniens Galilaea per arva
Transit, & ampla lacu consurgit in aequora magno;
Vnda coit rursum, rursum mare fundit apertum
Vrbs, ubi Romani de nomine dicta Tyberi;
Vnda coit rursum, tandem Hiericunte relicta,
Intrat infames Asphalti gurgitis undas.
Hinc satis est, nos oram omnem vidisse; probatum
Dicite, & hinc tandem vestras demergite lites.

MYRMIX.

Batrachus audaci semper sese ingerit ore,
Et mihi se praefert magno temerarius ausu.

BATRACHVS.

Non ego me ingessi, processi a iudice iussus.

BEMBVS.

Pone pedum Myrmix, & tu quoque Batrache; non est
Orandum armatis manibus, sed mentibus aequis.
Batrache dic, Myrmix animi compesce furorem
Interea, ut venias magis ad responsa paratus.
Qui furit, insanit, qui vero insanit, amaro
Impatiens animo, nec corda, nec ora gubernat,
Quicquid ait vanum est, quicquid molitur ineptum.

BATRACHVS.

Bembe, genus nostrum, generisque exordia dicam:
Venimus Assyriis, ut Candidus inquit, ab oris;
Est pater Helias nobis, qui sustulit armis
Pastorum genus omne malum, qui traxit Olympo
Flammigeros ignes, qui ascendit in aethera curru.

BEMBVS.

Nobile, & antiquum genus hoc, & clara propago.

BATRACHVS.

Pastores alii quotquot per rura vagantur
Omnia, sunt rivi nostris a fontibus orti.
Nos dedimus leges, pascendi ostendimus artem,
Quo magis hi peccant, qui quum sint ordine primi,
Primatum amittunt, studia inconsulta sequendo:
Nos radix, alii rami; sed nos quoque rami

A ve-

A veteri radice patrum, iam aetate caduci:
Tradidit Helias certam paſtoribus artem,
Qua curare greges, qua noxia pabula fas eſt
Diſcere, & occultos, ventoſque latentes;
Quive ſalutaris foret, & qui peſtifer annus;
Signa dedit, nihil omiſit, quod ovilia tangat:
Sed fons ille fluens Carmeli e rupibus altis,
Tam nitidus quondam, tam dulci lympidus unda,
Tramite mutato (patet id) modo currit in auſtrum;
Sed prius (extat adhuc vetus alveus) ibat ad ortum:
Hi curſus fecere novos, liquere priores.
Quos dederat rivo veterum prudentia patrum.

MYRMIX.

Quid tibi; ſive novo currat, ſeu tramite priſco;
Dummodo foecundis humectet paſcua lymphis?
Et quid de coeli quereris regione? per auſtrum
Solis iter, melior vitis quae reſpicit auſtrum,
Et melior legitur libycis de collibus uva.

BATRACHVS.

Et melior taxus boream quae reſpicit: ergo
In boream melius poterat decurrere rivus?
Paſtor es, & cura pecoris maleſane relicta,
Sermonem de vite facis; quaſi legibus iiſdem
Grex, & vitis eant; nec quod diſcrimen in undis,
Gramineque, & ventis noſti, & quam noxius auſter
Sit pecori; diſce a Roma ſi noxius auſter.
Cur Mutinenſis agri pecudes ſunt vellere fuſco?
Cur Clitumnus habet niveas? cur Mantua molli
Lanicio excellit Veronaque proxima Manto?
Vnde haec multiplici rerum variantia forma?
Non aliunde niſi a coelis, a gramine, & unda.
Candide utrumque pedum procul hinc (rogo) protinus aufer.

BEMBVS.

Inter eos hodie video bellum acre futurum
Clam cape, & auferto, fubter farmenta reconde.

BATRACHVS.

Bembe mihi tecum fermo eft, dum viximus una,
Dum commune pecus nobis fuit, heu mihi quantum
Dedecus, heu quot funt pecudes incommoda paffae!
Nec merfare gregem fluvio, nec vellera certis
Temporibus (ficut mos eft) tondere licebat:
Nudabant fpineta pecus, nudata fecabant
Terga rubi; fcabie cutis afpera, tabidus humor
Peftis, & in totum ferpebant ulcera corpus.
Multum igitur refert pecudes quae pabula carpant,
Flumina quae potent, & qua regione morentur:
Dic mihi, dic Myrmix, prifcum cur lana colorem
Perdidit, haec gregibus quidnam nova vellera fecit
Cur pecus eft nigrum, quod erat melioribus annis
Clarum? immutarunt mutati vellera mores.
Bembe, ad te redeo, paucis abfolvere nitar:
Sed quo digna omni tua fit fententia laude,
Vera loquar; tu iura tenes, ego facta docebo;
Iudicium reddit verum, enarratio vera:
His animadverfis aegre tot damna ferentes
Venimus ad fontem, rivumque a vertice fummo
Scrutari mihi cura fuit; tu provide Myrmix
Interea nidos avium, vel dorcada parvam
Venabare, tuae quae dona darentur amatae.

MYRMIX.

Bembe vides ut aperta in me convitia torquet!
Auguror, ifta manu lis eft non ore agitanda,
Mos mihi, non lingua maledicta refellere, dextra.

CAN-

CANDIDVS.

Batrache, ne verum taceam, linguofior aequo es !
Iurgia bilem acuunt, convitia pectus acerbant:
Non tibi cum puero res eft, nec homuncio Myrmix;
Res male tuta viros lingua iritare proterva.

BATRACHVS.

Da veniam, Myrmix, amitam proferre volenti,
Nefcio quis mihi mifit in os malus error amatam.

MYRMIX.

Do veniam, cave ne rurfum me voce laceffas.

BATRACHVS.

Alveus excelfa faliens de rupe lacunam
Foderat, & claufis ripas aequaverat undis:
Gurges erat textu fylvarum umbrofus opaco,
Denfaque fepierant triftem fpineta lacunam:
Mille venenorum fpecies in gurgite vidi,
Mille fecus ripas opaco margine, mille
Per nemus ad lymphas finuofo ferpere greffu:
Obftupui, & rapido rediens ad ovilia curfu,
Incipio paleas furca verfare tricorni;
Ecce caput tollit coluber, linguaque trifulca
Sibilat, inflantur fauces; nepa livida tendit
Brachia, ventrofus profert veftigia bufo;
Vipera per ftipulam ingrediens ftrepit; oh loca, dixi,
Non pecori tantum, verum, & paftoribus ipfis
Noxia! mox grege divifo de fedibus illis,
Pafcua quaefitum, triftis meliora receffi;
Perque iter antiquum fontis nova flumina duxi
In campos ubi prima fuos aurora colores
Explicat, & croceos phoebi redeuntis ad ortus:
Hic

Hic mihi foecundae pecudes, hic pascua laeta,
Et sine labe liquor, dulces sine crimine lymphae.
Haec loca primaevi sunt, quae coluere parentes
Signa casae superant, puteus cariosaque ligna
Fixa solo, seiuncta pedum discrimine septem;
Et focus, & lacera quae cingitur area sepe.

MYRMIX.

Cura viris levibus rerum solet esse novarum:
Propterea certe nova pascua quaeris, & amnes
Fingis inauditos, & vis novus auctor haberi.

BATRACHVS.

Cura viris gravibus rerum solet esse suarum:
Propterea Myrmix nimis a gravitate recedis.
Haec novitas non est novitas, sed vera vetustas;
Relligio, & pietas patrum instaurata resurgit,
Quam tua corrupit levitas, & nota tuorum
Segnities: igitur si quis labentia tecta
Erigat, & sterilem qui mansuefecerit agrum,
Iudice te damnandus erit; non ponitur arbor
Altera, sed veteri inseritur bona virgula trunco;
Segne prius lignum nostro fit fertile cultu.

MYRMIX.

Quamvis pingue tuo pecori sit gramen, & unda
Defoecata, tamen multae cum matribus agnae
Interiere; lupi, & pastae meminere volucres.

BATRACHVS.

Haec fateor, quae dira tuae contagia pestis
Accepere, etiam procul aspicientibus obsunt;
Tantum virus inest, vestri vis tanta veneni:
Propterea magis atque magis discedere semper

Eſt animus; patitur pecus haec incommoda noſtrum
Sola, quod in vaſtam nondum diſceſſit eremum,
Nec ſatis a vobis procul in deſerta receſſit.

MYRMIX.

Batrache, de gregibus mentiris plurima noſtris:
Certe alienarum tibi cura ſuperflua rerum,
Et temere aſſumis partes cenſoris iniqui.
Cur mihi qui paſco, cuium pecus iſta tueri
Non licuit? ſolis ne domus mea cognita vobis?
Aethiopes una quoniam nigredine ſordent,
Ille color nulli vitio datur: omnibus idem
Vultus, & alterius ſi quis reprenderet ora,
Et ſua damnaret; pecori pecoriſque magiſtris,
Fex eadem, ſcabies eadem, cutis, & color idem.

BEMBVS.

Parcite iam ſatis eſt lis intellecta, dieſque
Inclinata cadit, iam poſt iuga ſumma ruit ſol.
Audite, oh magni generis longaeva propago,
Lite ſuper veſtra quae ſit ſententia noſtra.

MYRMIX.

Batrache, me audaci toticns ſermone laceſſis.

BATRACHVS.

Non ego, ſed non aequa magis te cauſa laceſſit;
Iudiciumque timet ſibi mens mali conſcia iuſtum.

CANDIDVS.

Quando inimicitias tempus deponere, rurſum
Veſtra novas lites vecordia ſuſcitat, ergo
Perpetuis haec rixa odiis aeterna manebat:
Quae vos debilitas capitis, quae inſania vexat?

Non

Non pudet his uti tanto ſub iudice nugis?
Ergo animis audite aequis, odiiſque ſepultis
Vltima doctiloqui quae ſit ſententia Bembi.

BEMBVS.

Ferte per antiquos patrum veſtigia greſſus,
Et veteres ſervate vias; revocate vagantes
Per valles & ſaxa greges, per luſtra ferarum;
Figite in antiquis iterum magalia campis.

AEGLOG. FINIS.

BAPTI-

BAPTISTAE MANTVANI

PARTHENICE MARIANA.

LIBER PRIMVS.

SAncta Paleſtinae repetens exordia Nymphae,
Difficiles ortus, & formidata profundo
Incrementa Iovi, mores, hymenaeaque feſta
Virginis, & ſacri referam miracula partus,
Actaque, & acceptos mundi melioris honores.
Sed neque Pierii fontis, neque Phocidis undae
Nunc vada ſunt tentanda mihi; maiore camoena,
Et maioris opus nunc eſt ope Numinis: ergo
Tu mihi Diva fave, coelum cui militat omne,
Quam trepidant erebi ſedes, cui terra fretumque
Vota, praeceſque ferunt, noſtro tu ſola labori
Sis praeſens, operique tuum largita futuro
Praeſidium noſtrae veniens illabere menti.
Tu licet a noſtro ſpaciis ingentibus orbe
Diſiungare, ſuos quantum polus elevat ignes,
Non tamen humanos caſus oblita, tuumque
Nil pertaeſa genus, vigili mortalia cura
Suſcipis, & lachrymae tangunt tua pectora noſtrae;
Tu placidum terris ſydus, quod liberat omnes
A pelagi fervore rates, quod luce benigna
Saturni, Martiſque graves eliminat iras:
Tu nobis elice, nobis cynoſura; per altum
Te duce vela damus, portus habitura ſecundos;

Tu mare, tu ventos, tu ſydera cuncta, Deumque
Concilias, tu tuta ſalus, tu pacis origo;
Tu commune bonum, generis tu gloria noſtri,
Huc ades, & coeptos praeſenti numine curſus
Dirige, & infirmam rege per vada coerula puppim.
Anna diu vanos ſecum ploraverat uſus
Connubii, ſterilemque thorum, triſtemque hymenaeum;
Propterea dupliceſque manus, frontemque ſupinam
Attollens, humili Superos ita voce praecata eſt.
Numina, quae regitis coelos, quae volvitis aſtra,
Vos penes eſt genus omne boni, vos omnia rerum
Semina ſervatis; gremium telluris inane eſt,
Et ſine fruge ſolum, niſi ſumat ab aethere vires;
Sive per aſtrorum curſus, radioſque calentes,
Sive Dei ſolo, qui temperat omnia, nutu:
Venimus ad canos frigeſcentemque ſenectam,
Et noſtrae ſine prole dies abiere iuventae;
Longa infoelicis thalami conſortia ſine
Claudimus infauſto; vir pluribus exulat annis,
Conſpectus hominum fugiens, domus orba magiſtro
Fluctuat amiſſo, ceu navis in aequore clavo;
Currimus in fatum, tacitiſque recedimus annis,
Mortuaque aetatis pars eſt iam maxima noſtrae:
Pallida praeteriti ſpacium mors occupat aevi,
Quod ſupereſt expectat hyems; iam plena meorum eſt
Terra cadaveribus, conſanguineoſque ſepulchra
Vix capiunt; ſoli ſteriles ſervamur in omne
Dedecus, & certe brevis eſt foelicior aevi;
Conditio! primo Deus indulſiſſe parenti
Creditur, & fragili bene conſuluiſſe ſenectae,
Quum vetuit primos iterum decerpere fructus,
Et fruges guſtare, quibus produceret annos.
Nam quid longa dies homini, niſi longa dolorum
Colluvies? longi patientia carceris aetas
Lon-

Longior; eſt curſus vitae labyrinthus, in ipſum
Ex utero ingredimur, per limina mortis abimus:
Iam capulo inſtamus, nec adeſt, qui lumina claudat,
Oſſave componat tumulo tepidiſque ſepulchrum
Fletibus irroret, nobiſcum it tota ſub umbras
Progenies, nec erit noſtris, qui marmora ſignet
Nominibus; deſerta domus tabeſcet, & iſtas
Longaevi ſudoris opes, quas legimus ambo
Pluribus obſequiis haeres ignotus habebit;
Nobiſcumque cadent noſtri monumenta laboris:
Cernite communes amborum, Numina, curas,
Et ſervate genus; cernant ſe in ſtirpe parentes,
Et ſua natorum videant in vultibus ora:
Sint qui nos facie referant, geſtuque nepotes,
Progeniemque ſuam noſtro de nomine dicant;
Sint qui nos proavos numerent, & ſtemmata longo
Limite deducant, iterataque nomina ponant;
Pignora longaevae concedite, Numina, matri,
Quae celebres ad veſtra ferant altaria cultus,
Pinguibus & priſcum donis imitentur Abelem.
Saepius a vobis hoc exoraſſe praecando
Antiquas eſt fama nurus, & ſupplice voto
Collapſum genus, atque domos ſervaſſe cadentes:
Sic alacer Sampſon, ſic & formoſus Ioſeph,
Sic puer Iſacus ſatus eſt, & filius Annae,
Qui primum liquido regem perfudit olivo.
Talibus orabat ſterilis, gemituque ſonoro
Crebra dabat longos inter ſuſpiria planctus.
Audiit Omnipotens, animumque in vota, preceſque
Flexit, & infuſo caluerunt viſcera foetu:
Coepit, & humanos paulatim ſumere vultus
Semen, & in noſtram ſenſim tranſire figuram.
Vt quum vere novo tepefacta roſaria multae
Veſtit frondis honor; primum dureſcit in orbem

 Fol-

Folliculus, barbaeque comam producit acutae;
Mox inflare finus tunicafque implere virentes
Incipit, & concreta diu fub cortice proles;
Turget agens rimas tenues, & vertice fummo
Purpureas oftendit opes, rubicundaque labra;
Poftremo, quum pulchra fuos aurora colores
Explicat, & vitreum glomerant nova gramina rorem,
Panditur omne decus, valvifque emiffus apertis
Flos hiat, & loeto arridet venientibus ore:
Sic nova progenies utero congefta parentis
Emerfit non tota fimul, fed fingula certo
Difcrevit formans opifex Deus ordine membra;
Cor prius, ex illo quoniam defcendit in artus
Vitalis calor, a pleno ceu flumina fonte;
Illic prima domus vitae, poftrema per illud
Difcedens terris animus veftigia ponit:
Tum Superum Pater illius procul ire caducas
Iuffit ab hofpitio curas; habitacula dixit
Spiritibus, dulcemque mihi fervate receffum;
Mox cerebri concreta domus, quae plena pudicis
Crevit imaginibus, caftoque imbuta pudore:
Os rofeum fine labe dedit, frontique decorem
Sydereum, & laetos formae coeleftis honores;
Ambrofiaque comas tinxit, mox ubera pectus
Protulit, in teretes humeri fluxere lacertos
Ramofafque manus, quas hac Pater imbuit arte,
Vt folos fierent habiles pietatis ad ufus.
Haec funt membra, quibus divinae mentis imago
Cernitur humanis animis impreffa, quibufque
Omne opus aetherio dignum tentamus Olympo:
Inferiora magis pecudum fervare videntur
Naturam, morefque feros; tamen omnia femper
Officiis habuit fanctis accommoda virgo.
Non tam multiplici divorum munere, non tot
De-

Deliciis, non tam grato pandora decore
Claruit afcrei cantu celebrata poetae,
Sic ope coelefti, quamvis humana negabat,
Materni foboles iniit tentoria ventris.
Omne, quod excellens opus, & fublime futurum
Difficiles ortus habet, incrementaque tarda:
Sic iunco nemus alcydae, fic tardior exit
Populeis abies ramis, fic abiete pinus
Segnior, & primo longe vivacior ilex,
Et robufta larix igni impenetrabile lignum;
Nam magis opprimitur partu natura potenti
Plufque operae impendit, grandi ceu pondere preffa:
Plauftra gemunt magis, & magno fub vomere taurus
Sudat, & obluctans vires labor haurit onuftas,
Sic opus in longum differt, finique refiftit:
Aft ubi naturae Divum fuperaddita virtus
Adiuvat, ut remis lembus fugit actus, & aura,
Sic levis ad metam prono patet orbita curfu.
Sed quia longaevam fecit difcordia litem
Affimilemque iugi loris, quae Gordius olim
Nexuit, atque Iovis phrygii fufpendit ad aram,
Daedaleaeque domus errori pafiphaeo,
Conceptus ne facer fuerit, vel forde paterna
Illitus antiqui referam certaminis orfum,
Et fobolis noftrae infoelix repetetur origo.
Quum pater humentes redigens in corpora glebas
Vitalem humanos auram fpiraret in artus,
Vt nova progenies pugnam tuta iret in omnem
Vltra animi claras dotes, & corporis arma,
Iuftitiam coelefte decus fuperaddidit, unde
Et fati rigidas leges, & funera poffet
Vincere, & ambrofia vefci, fummoque potiri
Aetheris hofpitio, Superumque affuefcere menfis:
Sed poftquam vetitas fruges, & noxia mala

Vi-

Vipereis decepta dolis admovit ad ora,
Mox Aſtrea domos hominum paerteſa redivit
In regnum ſublime Patris; miratus Olympi
Tam celerem reditum Dominus, quare, inquit, ad arces
Sydereas mi nata volas, terramque relinquis?
Illa, Pater, fallax hominem deluſit imago,
Dixit, & a tectis egreſſa rebellibus adſum:
Tum Genitor meditans reſecare piacula tantae
Fraudis, ait; careant poſthac cuſtodibus iſtis;
Blanda patrum ſegnes facit indulgentia natos;
Iuſtitia nudi diſcant ſudare, famemque,
Et diuturna pati ieiunia, frigus, & imbres;
Servitium, & fati ſortem experiantur amaram;
Vexati ſapient; iucunda, & amabilis aeſtas
Poſt brumam, & ianos ſteriles gelidoſque decembres
Dulcior eſt; quid ſint tranquillae commoda pacis
Ferrea bella docent; homini labor utile ſemper
Calcar erit; ſegni pigros rubigine ſenſus
Ocia corrodunt, ſopitaque pectora torpor
Noxius obliquat; ferrum ſi tranſit in uſus
Aſſiduo ſplendore micat, vultuque nitenti
Audet ad argenti decus aſpirare ſuperbum;
At ſi longa quies ierit, fuſcatur, & atram
Vertitur in ſcabiem, celerique abſumitur aevo:
Inter multa hominum fata infoelicia, damno
Non erit hoc minimo; triſtem ſperata ſuperbum
Iam praeſens amiſſa facit fortuna dolentem.
Haec Pater; & mortem mox implacabile monſtrum
Hactenus obvinctam textis adamante cathenis
Carcere diſcluſit, coecoque emiſit ab antro,
Cui terris regna ampla dedit, pelagique per undas,
Atque per aerios tractus, raroſque per ignes,
Quos Phoebi germana ſinu complectitur amplo,
Et quaedam ſcythicis chalybum durata caminis
Tela

Tela dedit quaedam lerneo infecta veneno;
Nec satis haec, aliud telum laethalius addit;
Nam gladii rostrum, caudam trigonis aquosi,
Qua quondam magno fatum intentavit Vlyssi
Thelegonus dirces usus fatalibus armis
Praefixit iaculis, stygiaque extinxit in unda;
Mox iecur exemit monstro, praecordia bile
Coerulea infecit, celeresque innexuit alas.
Haec fuga iustitiae nostris mala cuncta diebus
Intulit, haec abiens nobis monimenta reliquit,
Quae patres ab avis, & nati a patribus omnes
In seriem mittunt per saecula longa nepotum;
Hoc vitium prima veniens ab origine sumpsit
Fomitis, & duri nomen crudele tyranni;
Nam scelerum accendit flammas, & colla superbis
Imperiis humana premit, cocytidas undas,
Laetheosque amnes spargit, stygiumque venenum;
Hoc Superum facit immemores, curasque nocentes
Ingerit, his animos audacibus incitat ausis;
His phlegethonteas iras inspirat; olentem
Cyprigenam fraudum matrem, cui cuncta veneni
Nota ministeria, & phoebeae carmina circes,
Semper habet comitem, primae haec discrimina culpae:
Propterea magnum dixere promethea vates,
Dum studet aethereis furari e nubibus ignem,
In nostras traxisse domos morbumque, necemque.
His igitur ne membra malis obnoxia sanctae
Parthenices essent, ista Pater obstitit arte:
Ante tener sacra foetus quam viveret alvo,
Conceptus ne prima novos exordia pullis
Induerent maculis, mens ne sincera nitensque
Communem imbiberet labem, ne pigra liquore
Pectora laetheo fierent, quae lactea magno
Pabula & amplexus fuerant latura Tonanti,

Se-

Semine confusas sordes, & virus inustum
Dissecuit, foelici anima mox imbuit artus.
Sunt tamen audentes contra sentire, nec illos
Incusamus, habent quo se tueantur, & olim
Ista hominum communis erat sententia; verum
Iam senio exangui frigens sua robora sensim
Perdit, & amissa iam maiestate recedit
Sponte sua, ceditque novo latonia phoebo:
At quoniam sacrae legis de fontibus hausta
Creditur, ex omni nondum explosa theatro,
Iudicio nec dum sancti damnata senatus,
Qui Vaticani Romae palatia saxi,
Et piscosa regunt sulcantem coerula puppim.
Sed prior, ut nobis aequum sentire videtur,
Dignor est, & grata magis nato atque parenti;
Nam legi assurgens Mariae decus addit, opusque
Materna dignum attribuit pietate Tonanti.
Adde quod & multis fert adiumenta, fidemque
Roborat infirmam; nam nec venisse sub alvum
Sorde laborantem tali sublimia coeli
Numina nonnulli ingenio praestante putarunt:
Religio maior, pietas animosior istam
Consummata fides, legumque peritia fecit;
Altera verborum textum, & fastigia tantum
Summa videns abstrusa Dei mysteria nescit.
Quod si syderei tanto splendoris honore
Fulget, ut aeterno qui temperat ordine mundum,
Gestarit gremio, lactaverit ubere, dulci
Strinxerit amplexu, summoque vocarit Olympo,
Quare illam in nostras opus est detrudere sordes,
Et turpi incestare luto? mortalibus aequas,
Cui Pater aetherias mentes subiecit, & astra;
Scrutandum potius si quae praeconia iungas
Eius adinventas per plurima saecula laudes.

Nulli

Nulli adeo vivax animi ſolertia, nulli
Tam foelix aderit florentis gloria linguae,
Vt Mariae poſſit laudes aequare loquendo!
Quae data ſunt illi nunquam mortalibus ullis
Antea conceſſit, nec poſt concedet Olympus;
Quamvis Creta Iovi chorybantia cymbala pulſet,
Feſtaque tyrſifero celebrarit graecia patri.
Quot miſeros pelagi nautas ſubtraxit ab undis,
Quum iam praecipites fluctus aquilonis, & auſtri
Viribus adverſis coelo aequarentur, & ipſa
Tranſtra per effuſi certiſſima fata tuliſſent?
Quot traiecta gravi ſervavit pectora telo;
Pectora, peonias quae non valuere per artes
Reſtitui, nec opis noſtrae poſcentia quicquam?
Quotquot etiam tetro ſquallentes carcere fractis
Ocyus obiicibus maniciſque reſolvit ahenis?
Quot famis exhauſtos macie vix aegra trahentes
Membra datis coelo dapibus miſerata reduxit
Robur in antiquum, vireſque refudit in artus?
Nec minus ingenti vitiorum mole ſepultos
Infixoſque luto, & toto tellure iacentes
Corpore divini luſtravit numinis aura.
Propterea totum ſurgentia templa per orbem
Illius immenſam laudem regnique perennis
Perpetuos faſces, & fine carentia iura,
In noſtrumque genus ſummum teſtantur amorem.
Ipſa eſt adverſis commune in rebus aſylum;
Ante preces etiam nec dum obſecrata favorem
Donat, & ad miſeros maternas explicat ulnas.
Quid nivis aeſtivae pluvias, quid moenia dicam
Littore piceno impenſis communibus orbis
Condita, & Adriaco tranſvecta cubicula ponto?
Quidve Fluentinas aedes, delubraque donis
Aucta peregrinis referam? ſiculiſque ſedentem

Littoribus drepani molem, qua maximus olim
Coelicolum, & legis custos Albertus avitos
Aequavit patres, patriamque accepit Olympo,
Et custoditae aeternum pietatis honorem.
Perpetuos igitur merito solvemus honores,
Conceptusque die venient ad templa quotannis
Orgia, & aeterno Mariae primordia ritu
Annuus ardentes cultus revocabit ad aras:
Tum pius hibernum chyron titanna premebat,
Cui comes in lucem nitidis argenteus alis
Ibat olor, phoeboque suos cedebat honores,
Quum fecunda sibi concepto semine mater
Divinum illabi coepit sentire favorem.
  Etiam signiferum novies lustraverat orbem
Lucida maturos solvens latonia partus,
Convenere nurus circumfusaeque iacenti
Mite puerperium matri, dextroque rogabant
Sydere vitales foetum prodire sub auras.
Loetior eoos proles hyperionis ardens
Alipedes iungebat equos, postremaque sanctae
Erigones iam regna legens vicina coronae
Sydera, & alcidem geminos qui interiacet angues,
Ad superos nigro secum revocabat ab orco:
Portitor helleus nitido cum gorgonis ore
Stellatae dux noctis erat, cum pistrice longo
Eridanus tractu claris lucebat in astris;
Quum nova progenies foelicibus edita fatis
Phoebeam primum lucem, mortaliaque ora
Vidit, & humanae transmisso limine vitae
Decidit in patriam luctus, regnumque laborum.
Candida nascentem mox ut videre puellam,
Omnia iucundo fulserunt sydera coelo,
Arrisere poli summoque auditus ab axe
Concentus, prolique novae paeana canorum,
Ar-

Argutumque melos divi cecinere, paternas
Velarunt aulea domos: pendebat in illis
Longa patrum ſeries, primique parentis origo,
Et colubri deluſa dolis ſtringebat eburna
Poma manu virgo; gladio paranymphus, & igne
Exilio damnabat avos, adolebat ad aras
Pinguia ſacra puer flamma ſtridente, ſupinos
Tollebat vultus, & Numina ſancta colebat,
Annoſique ſenes ſtabant cum prole, columnas;
Vnam perpetui de marmore roboris, unam
Fictilibus muris plaſtes formabat aquarum
Flammarumque minas contra, quia noverat olim
Ventura excidio terrae neptunia regna,
Vulcanique graves aeſtus, puerile ſecutus
Obſequium ſenior quernae ſub tegmine frondis
Deplorabat avum coeco, quem fixerat arcu;
Et faber incudem feriens, & follibus actis
Aera quoquens, ferrum varios conflabat in uſus.
Sola mari in toto ſuper alta cacumina puppis
Nabat, & imbriferae paſcebant aequora nubes,
Vitiſatorque pater miti deluſus hiacco
Monſtrabat nudum pueris ridentibus inguem:
Primus hic undoſum ſulcavit navibus aequor;
Quamvis prima ratis credatur Iaſonis argo;
Primus hic effoſſa vitem ſupponere terra
Coepit, & apricis mites de collibus uvas
Tollere, dircaeo licet haec ſit gloria baccho,
Ardua terrigenae volvebant ſaxa gigantes
Conati molem ſuperis aequare ſuperbam;
Lanigeras Abrahamus oves per littora paſcens
Sacra dabat, ſaxoque gemens pudibunda ſecabat;
Laetior adducta medo remeabat ab orbe
Cum conſorte puer, coelique ex arce pluebat
Sulfur, & aetheriis ardebant ignibus urbes;

Bisseni patres longa cum ſtirpe nepotum
Pabulaque Aegypto ſervans praeſagus Ioſeph
Frigida defuncti referebant oſſa parentis;
Regna novis fugiens longe perterrita monſtris
Trans mare purpureum Nili ducebat ab oris
Dux animo vultuque pius magno agmine longum
Vulgus, & erecti dirimebant aequora fluctus;
Ipſe dabat ſacros ritus, arcamque locabat
Legiferam, lateque arabum deſerta peragrans,
Iuſque ferens populo ſterili, de marmore dulces
Eliciebat aquas, optatos arida fontes
Abſorbebat humus, fugienſque in gramina flumen
Ibat, & obliquo lambebat ſaxa recurſu;
Culmina pancheos tollebant ardua montes
Turriferiſque iugis haerentia nubila ſupra
Igne Deus fumoque latens in vertice ſummo
Scribebat legis duplici nova foedera ſaxo;
Inviſam Superis gentem ſemenque ſuperbum
Concava terribili tellus forbebat hiatu,
Clamabatque ruens iam ſemiſepultus Abiron;
Impia ſublimes vitulos, ſtatuamque bicornem.
Turba Deum mentita manus tollebat, & ora;
Strenuus indigenas populos abigebat Ieſus
Parta ſuis aequo permenſus limite regna,
Inde ſenatorum turbam, regeſque togatos,
Atque ſacerdotum ſeriem, partoſque triumphos,
Bellaque, & aetherio ſurgentia templa Tonanti,
Et docti Salomonis opes, Roboamque ſuperbum
Palladia textor filis intexerat arte;
Ezeciae illuſtres morbos, ſolemque reverſum,
Et phaetonteos verſis temonibus axes
Ferre ſuos retro curſus, iterumque relabi
Oſtentabat opus longaeva in ſaecula ductum:
Hinc Eleazarus divina volumina regi

Tra-

Tradebat phario; senibus distincta magistris
Tecta, voluptates varias, diversaque tempe,
Multiplicesque avium plumas, & carmen habebant:
Captivam totiens gentem nunc ire tyrannis
Servitum Assyriis, iuga nunc Aegyptia ferre
Clausaque trans altos hominum tot millia montes,
Et Templi eversas Solymaeque resurgere moles
Pendula monstrabant picto velamina textu.
Quinque triumphales currus, & proelia fratrum,
Divisum populi regnum postrema tenebat
Pars operis tanti, circum viventia semper
Brachia tortilibus ramis fundebat achantus.
Prima coronarunt redolentibus atria sertis,
Graminibusque fores, & limina summa virebant,
Perque vias famulae ramos sparsere comantes;
Laeta dies egit festos vicinia passim;
Tota puellari resonarunt compita cantu:
Ornabat roseo ridens cunabula vultu,
Dulciaque attollens in matrem lumina Virgo,
Quum traheret dulces lactanti a pectore succos,
Stringere complexu natam ferre oscula fronti
Non erat ausa parens; nec enim mortalis in illa
Humanusve decor; sed erat coelestis imago,
Aethereasque vigor flammas, & sydera vincens:
Mira supercilii gravitas, pondusque venustae
Frontis, & eximia fulgentes indole vultus
Suspensas hominum mentes, atque ora videntum
Per longas immota moras retinere solebant:
Non infesta fuit luctu, non ebria somno;
Sed vigilans, risuque genas ornata modesto.
Nunc matri arridebat ovans nunc parvula tendens
Brachia vicino miscebat dulcia patri
Murmura, dixisses studio gestire loquendi.
Temporis innocui nondum discesserat aetas

Ple-

Plenaque iam docili formabat verba palato.
Mos erat antiquis longum fervatus in aevum
Aede puellares annos includere facra,
Aetatemque Deo teneram, primumque dicare
Virgineae florem vitae, & generare pudoris
Ingenui curam, fanctofque inducere mores;
Mox, ubi veftitum prima lanugine tempus
Venerat, in thalamos ibant hymenaeaque tecta,
Coniunctaeque viris proli indulgere folebant:
Propterea legum memores, & moris aviti
Venturi Solymam trina cum prole parentes
Deferuere folum, galileaque Nazareth arva.
Floribus intextis, & odore gramine cinxit
Virginis ora parens, ftellatae lumina frontis
Haerebant coelo, teneroque in pectore claufum
Numen erat, niveo tunicae talaris amictu
Albebant humeri, quam circuntextus olivae
Laureus ambibat torques, ad colla per imas
In ftrophium flexis palma ibat frondibus oras;
Matris opus, mollique finus variaverat auro.
Ventum erat ad magni Templum fublime Tonantis,
Quo ducunt ter quinque gradus de marmore vivo;
Et iam porrectis curvabat prona lacertis
Serva manus fummum ad limen latura puellam,
Quum mox virgineo conceptum pectore Numen
Affuit, & retrahens promptae finuata miniftrae
Brachia debilibus plantis, animoque vigorem
Addidit, & fupra aetatem fiducia crevit:
Protulit audaces fublata cyclade paffus
In fublime volans Virgo, turbamque relinquens.
Sicut ubi multae volitant ad littora puppes,
Ocyus illa fubit portum, quae mole minori
Labitur, & melius velis, & remige fertur.
Vertice iam fummo magni penes atria Templi
Sta-

Stabat, ubi ascensu fessos solata parentes,
Risit, & aeternum curvato poplite Numen
Cum nuribus venerata piis in claustra recessit
Virgineae secreta domus: flevere parentes
Cognataeque, nurus, gemitumque dedere ministrae,
Quando e conspectu vultus abitura nitentes
Vertit, & induxit sublatam in tecta sacerdos.
Tres una comites habitant Aeros, Elpora, Pistis,
Sydereus fronti quibus est nitor; aurea primae
Vestis, & ardenti pictum face pectus, & igne;
Ast aliam coeli vultus imitata serenos
Laena tegit, quam corda manus in texta supinae
Tollentes sparsim variant; toga pistios artus
Candida, & argenti niveo splendore corruscans
Nocturnaeque fugans umbras caliginis ambit:
Multa sinus, & colla virens ornabat iaspis,
Quae nigros abigit lemures vanumque timorem.
Prima patris summi stirps immortalis, & aevum
Non metuens, annis aliae longaque senecta
Interitum passurae olim quoque cardine fixo
Per sua cessabit vestigia currere mundus:
Parthenices istae venturae ad limina Nymphae
Quatuor egregias secum duxere sorores
Pulchram Metrioten, Phrenandreamque potentem
Viribus, atque gravi lites componere doctam
Voce Dicaspoliam, memorique futura videntem
Mente Prometheam; summo genus aethere missum.
Alta panomphaei subeuntes tecta Tonantis
Ad Mariae thalamos famulam misere Siopen,
Quae praegressa citos ut movit ad ostia passus,
Clausaque per tenues vigilare cubicula rimas
Vidit, heras nutu vocat, ingressumque ministrat.
Iam nocturna quies operas manuumque labores
Clauserat, & mollis per opaca cubilia somnus

Mi-

Miserat extinctis pallentes ignibus umbras.
Ipsa diem tepidae reparabat lumine testae,
Primaevamque patrum genesim, mundique recentis,
Et nova monstriferae repetens miracula virgae
Noctis in occiduam prono iam vertice calpen
Insomnes taciti ducebat temporis horas.
Oscula post, & prima datae iam verba salutis
Amplexusque pios, genus antiquamque suorum
Progeniem, & studiis quibus oblectentur, & artes,
Et varios mores diversaque nomina gentis
Vt docuere suae; nostri vigilantius oris
Effigiem, dixere, alto sub pectore serva;
Nam quaedam hostiles nostris sub vultibus umbrae
Humanas ambire solent, & fallere mentes.
Dumque ita multiplices dant accipiuntque loquelas
Clara per eoos fluctus aurora rubebat,
Flammaque surgebat niveis argentea bigis,
Luciferi gelidos spargens in gramina rores;
Et cupiens prolem dulcesque revisere nidos
Garrula sub lucem modulos iterabat hirundo.

Tum Pater Omnipotens ita compellare coaevos
Aggressus comites, regni quibus una potestas,
Quos rerum par cura tenet; nam nomina rebus
Plura tribus, tamen una subest essentia simplex.
Numina, quae aeterno mecum regnatis Olympo,
Et quibus unus honos, eademque potentia mecum,
Principio informem grandi quum corpore massam
Fecimus, & coelum in latos sinuavimus orbes,
Scitis ut a nobis animos, & lumina vertens
Inque suum conversa decus propriumque nitorem
Contemplata gravi sub pallida tartara casu
Spirituum pars magna ruit, quam sulfuris ardor
Sub nigris specubus tenet, aeternumque tenebit:
Nec dum phoebus erat, nec claro lucifer ore

Ante

Ante diem surgens primo rutilabat ab ortu;
Nondum mane rubens pulchros aurora colores
Induerat, nec luna suos accenderat ignes,
Quum modo facta cohors turpem meditata rapinam
Imperium nostri sperare audebat Olympi:
Propterea immensum scelus, indelebilis error
Aeternum durat; nec enim mutabilis illa est
Naturae sortita genus; quo lapsa recessit
Fixa manet; quod mente semel complexa recepit,
Inconcussa tenet semper, nec amata relinquit;
At neque nos illi vota ad meliora favemus.
Tunc hominem; meministis enim qui flectere sese
Posset, & a nobis animo verti, atque reverti;
Condidimus, magni quo damna rependere casus
Fas foret, & vacui complere sedilia coeli:
Et iam magna cohors hominum, quibus aetheris arcem
Annuimus, moeret longas partaesa latebras,
Exiliique rogat finem; sed debita primo
Poena vetat sceleri: vocat hinc amor; inde reclamant
Iustitiae leges; negat haec, petit ille favorem:
Iudicium veros decet & clementia reges.
Sed neque mortali poterit fata sanguine proles
Iustitiae placare minas, & solvere nodos:
Adde, quod a vanis terra est revocanda Deorum
Cultibus, atque Deo iam servitura triformi;
Non opus humanis tractandum viribus istud:
Hoc opis est tantum nostrae; qui condidit orbem
Liberet; artificem, qui fundamenta locavit,
Instaurare domum decet, & sarcire ruinam.
Nate mei speculum vultus, & mentis imago,
Ars mea, Nate, precor terras iuvisse iacentes,
Atque tuis onus hoc humeris hanc suscipe curam:
Illa puellares inter pulcherrima turbas,
Quae nobis totiensque manus, totiensque supinam

Attollit frontem, & tota suspiria nocte
Ingeminat vigilans terrenis libera curis,
Orta tibi est; illam non aspernabere matrem:
Post ubi tempus erit lateri contermina nostro
Fiet, & ingentes mundi tractabit habenas.
Cernis ubi modico surgunt capitolia saxo
Templa Iovis falsi mediam, qua dividit urbem
Thybris, & etruscos quum volvit in aequora fontes?
Illa tui sedes regni, quum pulsa deorum
Turba, tibi veteres aras, & templa relinquet:
Te Libyes, Asiaeque colent latissima regna;
Europae magis arva tamen; tibi Roma latinae
Gentis apex, phoebumque videns hispana cadentem,
Doris, & algentem regio quae sustinet arcton
Serviet, atque novo tellus lustrabitur imbre:
Tunc tua cum propriis iungent insignia reges,
Et Crux aereas signabit purpura turres.
Me magis Assyriae gentes, Indique, Arabesque,
Atque Palestinae populi novere; sed olim:
Forsitan & nostro laetabitur Aphrica nexu,
Templaque Spiritui ponet celeberrima sancto.
Talibus Omnipotens Nato mandata ferebat:
Nota salutiferae placuit sententia proli;
Nam quia mens eadem tribus est, eademque voluntas,
Semper idem sentire omnis, & amare necesse est.
Est locus Aemoniae Macedumque propinquior arvis;
Orchomenum dixere; tenet modo vandala pubes:
Illic perspicuo vitrei sub gurgite fontis,
Vt perhibent, olim dum dorica regna manebant,
Tres charites habuere domos, dulcemque recessum:
Hae simul assumptis, iuga quae piplea colebant,
Mnemosynae natis, primos liquere penates
Ornataeque comas hederis, & virgine lauro
Assyrios petiere lares, Iordanis ad amnem,

Qui

Qui missus Libano cyprium festinat in aequor.
Vt venere vadis lavere nitentibus omnes
Quicquid labis erat, venerandaque limina sanctae
Parthenices ingressa cohors ad mutua primum
Oscula, & ad dulces mox se vertere loquelas;
Et tandem dextrisque datis, & foedere facto
Perpetuas illi se iuravere sodales,
Et quocumque iret comites dixere futuras.
Iamque vigil primam Virgo perceperat artem,
Atque coloratas voces, linguaeque nitorem;
Mensurae numerique modos, coelique meatus,
Et quas luna vias, & quas observat Apollo,
Et quos Mercurius trahat, & Venus aurea gyros,
Et varias coeli vires, & nomina norat:
Nam dum plebs Iudaea Deo parebat, Olympi
Scivit iter, pueris etiam fuit agnitus aether:
Assiduis veterum studiis oracula divum
Pervigilique legens cura, Mosemque, piumque
Esaiam, moestisque virum qui versibus urbem
Plorat, ab ingenio curas a lumine somnos
Sedula pellebat; parvo sua vota sacello
Supplicibus palmis narrabat, & ore supino,
Ocia nulla die carpens nulla ocia nocte;
Cura cibi, somnique brevis, quae pasceret artus,
Pauperibus mensis genium fraudabat, & ora;
Et castigato tolerans ieiunia ventre,
Carmina discebat, sanctique poemata Regis,
Qui tetricis olim fidibus cantabat ad aras,
Sacraque fatidico psallebat ad orgia cantu:
Quicquid habent sacrae divina volumina legis,
Quicquid inest Arabum libris lustrarat, & omnes
Graiorum annales, Romanorumque triumphos,
Et quantum Latii fudissent arma cruoris
Punica, quot bellis rubuit navalibus aequor;

Qui Troiam petiere duces, quo milite Perſas
Rex Macedum, Parthoſque truces ſuperarit & Indos;
Monſtra quot Alcides domuit, quo remige Cretam
Dedalus ad gelidas fugiens annaverit artos,
Et quibus adiutus pennis equus aliger auras
Preſſerit, & dulcem plantis excuſſerit undam;
Hippolyti caſtos, & Bellerophontis amores,
Illuſtres Helenae raptus, & Phyllidis ignes,
Biblidaque inceſtam curat, & vulnera Thysbes,
Tarpeiaeque dolos, & gratam Phorcida Glauco,
Pomaque Cydippes, Orithyiamque furenti
Sublatam borea, Clymenen, & Belides auſas
Caede maritales thalamos implere, piumque
Pectus Hypermeſtrae, verſaſque in ſaeva virorum
Funera Lemniades, Hellen Cyrenaeque puellam;
Tres quoque Sirenes, & Amazones, Oedipodaeque
Fata domus norat, nymphaſque heroides omnes.
Quicquid in his tumidum, quicquid crudele feroxque,
Et quaecumque pios non atteſtantia mores
Oſſendit, damnabat, apes imitata legendo.
Nunc lanam pingebat acu, nunc penſa trahebat
Serica, & immiſſis licia pendula filis,
Vela ſacerdotum ſacros texebat in uſus:
Terrenum nihil ore ſonans, incluſa latenſque
Plena Deo pectus, toti gratiſſima coelo.
Non robuſta nimis teneros, neque debilis artus,
Incolumis morboque carens, non mole ſepulti
Corporea ſenſus; crines, caput, ora, ſinuſque,
Brachia, colla, manus, poſtremaque membra ligarat
Solerti compage Deus; promptiſſima menti
Ingenioque acies, atque inſuperabile robur,
Nervoſaeque animo vires, ſemperque voluntas
Iuſtitiae rectique memor, moderamine certo
Diſcordes animae motus luxumque domabat.

Qua-

Qualis purpureo radians carbunculus ore
Obſcuros inter lapides, gemmaſque minores
Splendet arenoſo, qua tingitur India Gange;
Qualia ſylveſtres inter pineta miricas,
Quae tollunt ſublime caput, ramoſque comantes,
Frondifer aemonias ubi Pelion aſpicit urbes,
Vel qua Parrhaſii ſurgunt iuga ſumma licaei;
P rthenice mea talis erat, iam grandior aevo,
Iam ſocianda viro, Lucinaeque apta labori,
Virgineos inter coetus comiteſque puellas.
  Feſta dies aderat, Solymi qua divite menſa
Pinguia ſub viridi celebrant convivia fronde,
Antiquae memores vitae, quum immite ſuperbi
Imperium regis patres fugere per altos
Incolumes fluctus, Arabum deſerta peragrans
Sub divo populus menſam ponebat, & umbras
Frondibus obductis texebat, & arbore caeſa.
Poſteritas igitur caſus imitata parentum
Sub ramis caenare ſolet, quum ſeptima luna
Imperat, & lampas claudit phoebea coronam:
Tunc igitur Solymas arces, charamque reviſens
Progeniem mater ſic eſt affata puellam.
Nata meo quondam ſuaviſſima pondera ventri;
Dulce Patris ſummi donum, mea ſumma voluptas;
Poſtque parva lares noſtros, & limina nota
Liquiſti, numquam ne tuae te cura parentis
Vlla ne te patriae movit pietatis imago?
Optaſti ne ſinus noſtros intrare, ſenemque
Cernere, quem longeva gravant iam membra parentem?
Debilitat vires, ſenſus obtundit, amorem
Diluit, & nobis affert oblivia tempus?
Ipſe Pater, ſacra poſtquam te clauſimus aede,
Quotidie menſes digitis percurrit, & annos;
Haec duo luſtra putat duo ſaecula, ſuſtinet aegre
Tam

Tam longae tormenta morae; iam vidimus, inquit
Aequaevas Mariae thalamos intrasse puellas:
Aspice quam firmo surgat iam stipite laurus
Natali defixa die, iam brachia baccis
Vestit, & ingentem ramis iam porrigit umbram;
Sic ait; & caderet paucis in fata diebus,
Ni te forte suos parvum post tempus ituram
Credat in amplexus: dudum tibi multa paravit
Xenia; tu nostrae requies, tu sola senectae
Gloria, tu fessae producere tempora vitae,
Tu truncare potes: nec opum nos amplius ardor
Sollicitat, nec spes tangit resolubilis aevi;
Sola places, curasque levas tu sola seniles.
Sicut in occidui magnes ad syderis astrum
Vergit, & arctoo numquam discedit ab axe,
Sic solet in natos amor inclinare parentes;
Hoc natura iugum peperit, placidoque ligavit
Compede; non fertur superos vulcanus in orbes
Mole pari, non saxa ruunt ex aere tantis
Viribus; ipse suos sol deseret ante meatus,
Et fluere alterno cessabunt aequora cursu,
Quam te nata patris, quam te mea cura relinquat:
Vt pario sculpti durant in marmore vultus,
Nec metuunt pluvias, hyemes, boreaque nivosum;
Sic penetrans arcana animis praecordia nostris
Haeret, & in nobis semper tua vivit imago;
Sermonem tu luce paris, tu somnia nocte,
Ah quotiens, dum cura mihi est clamare ministram
In mea dulce tuum nomen sese ingerit ora!
Ah quotiens festa redeunt ubi gaudia luce,
Laetaque per pingues resonant convivia mensas,
Te memoro, votis omnes te ardentibus optant!
Et quia solus abest tuus hic, mea viscera, vultus,
Vilescit mihi quicquid adest; non excitat aures

Ti-

Tibia, non triſtem mulcent obſonia linguam,
Vlla nec infirmos capiunt ſolatia ſenſus:
Iucundum ſine te nihil eſt, & vivimus in te;
Noſtra nec in nobis vita eſt, quae ſuſtinet artus
Aura tuos, nobis animam ſenſumque miniſtrat,
Et vitae ſumus umbra tuae; pia cura parentum
Incipiat, quando amborum ſic poſtulat aetas
Iam ſenio curvata gravi, te nata movere:
Haec tua dilectae tam longa abſentia frontis
In quot me gemitus, in quot ſuſpiria mittit!
Vnica tu ſoboles generis, ſpes unica noſtri:
Debetur tibi tota domus, tibi ſerviet uni
Et pecus, & cultae foelicia iugera villae:
Sic noſtras partimur opes; pars optima Templo,
Altera ſors inopi ſervit, pars tertia nobis.
Tu quoſcumque voles illas mutabis in uſus;
Sit tamen & vita tecum, quae militet omni
Cura Dei, qui nec falli, nec fallere novit;
Magna Deo cura eſt hominum, qui Numina curant.
Ipſe maritales poſt primi exordia mundi
Inſtituit taedas, aeternaque foedera ſancti
Connubii, quo poſt veterum defuncta parentum
Corpora ſint qui ſacra ferant, qui Numina norint,
Quique ad divinos gignant nova pignora cultus:
Sic pietas aeterna manet, renovataque proles
Accipit a patribus, doceatque & ipſa nepotes:
Duratura Deus quaedam ſemperque futura
Condidit, haec ex ſe gigni prolemque creare
Nil opus eſt; nec ſol ſolem, nec ſydera ſydus
Seminat; aſt quaedam fato ſubiecta, necique
Protulit; haec ſeſe generant; eademque manere
Quum nequeant, in prole manent; ſimulacra parentum
Sunt nati; penes hos opus eſt ſit cura nepotum:
Sic proles ex prole fluit, ceu lubricus annum
An-

Annus agit, mensis de mense renascitur, horam
Hora refert abiens, & ab arbore pullulat arbor.
Sic Davida pater tulit, Ezeciasque Manassem,
Sic Esronus Aram genuit, Salmona Naasson:
Et quia maiores aetas tua venit ad annos;
Nam tibi, ni fallor, bis septima volvitur aestas;
Propterea natosque viro, nobisque nepotes,
Cultoresque Deo debes; satis aede morata es,
Nata redi, nostraeque libens succurre senectae.
Vocibus his Virgo in fletus prorupit, & ibant
Per roseos vultus lachrymae, quas chara legebat
Admoto siccans oculos velamine mater.
Dedidicit fletum, & pressis singultibus orsa est:
Chara parens tantum materni flumen amoris,
Quod lachrymis, gemituque tumet, quod plenus acerbis
Significat curis, & sollicitudine sermo
Quae non corda domet vel ferrea? lumina quae non
Miserit in fletus, tepidoque impleverit imbre?
Haec tua tanta, Parens, pietas mea viscera dudum
Stringit, & accensam movet ad suspiria mentem:
Si sinerer quo inclinat amor vestigia ferre,
Nec tot opus lachrymis, nec tot singultibus esset;
Namque animus totis vota in tua viribus iret;
Nec fuit a teneris quicquid mihi dulcius annis,
Quam curam gerere, & votis parere parentum:
Sed coeleste meum tulit in contraria pectus
Numen, & impatiens studiis ingentibus ardor
Sollicitat, cogorque novo parere furori;
In nova coepta meos sensus imasque medullas
Impulit aetherius Genitor; magis ardua nobis,
Et melior tentanda via est; Deus ire per altum
Suadet iter; quod si est vobis aliena voluntas,
Curaque non eadem, veniam divina sequenti
Iussa date, & quo fert coelum convertite mentem:
Me

Me mea virginitas, impollutique pudoris
Immortalis amor gratam fecere Tonanti;
Ille meo amplexu fruitur, semperque virentis
Flore pudicitiae: thalamum fortasse subire,
Atque maritales potero coniungere taedas;
Non poterit maculare meum venus ulla cubile,
Virgineumque decus; custodiet ipse pudorem,
Qui dedit haec mihi vota Pater, castique nitorem
Corporis, & mentem nullum mihi polluet aevum:
Haec eadem sanctos movit sententia vates,
Et magnos habet auctores; temeraria forsan
Dicerer, & propriae male consuluisse saluti,
Ausa per ignotos calles si prima fuissem
Vadere, & ambiguis solam me credere ventis,
Rumpereque audaci nondum vada cognita gressu:
Clara per hos magnus liquit vestigia calles
Elias, Eliadesque viri, gratissima coelo
Progenies visura suo de semine Divos.
Sic stat, & immotum tenet haec sententia pectus;
Tu Genitrix patiare oro, & solare parentem
Longaevum; curae sese sciat esse Tonanti;
Ipse aderit, senioque graves solabitur annos:
Sic Virgo; & mater lachrymantem amplexa recessit.
  Hic Mariae natale solum, sedemque paternam,
Et genus antiquum paucis memorate puellae
Castalides; etenim memori vos omnia mente
Tempora, vos terrae tractus, pelagique tenetis;
Et vos Parthenicae comites famulaeque fuistis.
Est Arabes inter cadmeaque Sydonis arva,
Palmiferamque Pharon, lybicis quae iungitur oris,
Et mare quod lato foecundam gurgite Cyprum
Alluit, assyrii pars non ignobilis agri,
Terra ferax, belloque potens, atque inclyta cultu
Vnius Iudaea Dei, clara oppida, claras

O Suspi-

Suſpicit apricis poſitas in collibus urbes:
Aſcalon hic, & Gaza potens; aeraria quondam
Perſidis antiquae; magna ſedet edita mole
Fulta ſupercilio praeruptique aggere montis;
Hic vetus Andromadae vinclis inſignis Ioppe,
Antiqua prior illuvie; ſummo ardua colle
Regia tecta Syon, & pulchram ſuſtinet arcem,
Imperii caput, & Solymi moderamina regni:
Illic ſolennes aras Davidica proles,
Altaque candenti poſuit de marmore templa;
Illuc ex omni turbae regione ſolebant
Dona Deo, & primae frugis portare maniplos;
Illic triticeae cereris domus inclyta Chriſto
Conſcia naſcenti, montanaque Nazareth; ambae
Illuſtrem tenuere locum; genus iſta paternum,
Altera maternum Mariae dedit; iſta Tonantis
Conceptu foelix, ortu foelicior illa:
De patria ſatis haec; poſthac de ſanguine dicam.
Iſmeriae ſoror Anna fuit, regalis origo,
Et ſoboles magni veniens Davidis ab alto
Sanguine, Zachariae coniunx ſata ſemine primae.
Tres triplici partu Marias, tribus Anna maritis
Progenuit; ſanctum, & ſummo genus aethere dignum:
Prima Deo ſacros partus dedit, altera natos
Quatuor Alphaeo, Iudam, Simona, Iacobum,
Et qui iuſtitiae clarum cognomen habebat;
Tertia de natis tibi, quos Zebedee duobus
Edidit, ad Calpen unum traſmiſit, & unus;
Si populi praeſtanda fides rumoribus ulla eſt;
Vivus Amazoniis Epheſi ſepelitur in agris:
Sicque duos inter ſtuduit concludere natos
Regnantem Latio Chriſtum Romaeque tenentem
Imperium; levam tellus aſiatica, dextram
Gens hiſpana tenet, regnum inter utramque latinum.

PAR-

PARTENICE MARIANA.

LIBER SECVNDVS.

ANxia reſponſo Genitrix in tecta redibat,
Multa movens animo; nec enim ſententia natae
Viſa ſatis Legi, priſciſque accommoda patrum
Ritibus; in vacuos etenim partuque carentes
Experteſque thoros ſobolis ſuperoſque Deumque
Iraſci tunc fama fuit, dirumque minari
Supplicium in ſteriles uteros: multo ante maritum
Non aliam ob cauſam paſſum convitia norat,
Semotumque procul templo, ſpectantibus ipſis
Civibus, & triſtem caſum miſerantibus ultro:
Namque vir ardentes votum poſiturus ad aras
Ante habitam prolem, dum ſe in ſecreta tuliſſet
Templa, ſacerdotum ſtrepitu diſcedere ſacro,
Ex adyto iuſſus fuerat, turpemque repulſam
Paſſus, & hoc patriam fugiens ob dedecus urbem
Rus coluit, plureſque latens inglorius annos
Duxerat in luctu triſtem ſine coniuge vitam.
Sicut ubi amiſſo thalami conſorte per agros
Sola volat turtur, nitidis neque potat in undis,
Ne comitis priſci triſtetur imagine viſa,
Nec viridi poſthac fertur conſidere trunco:
Sed miſeram divina ſenis clementia ſortem
Proſpiciens, Annaeque preces & dona gementis
Mitit olympiaca celerem de ſede miniſtrum,
Qui dedit haec mandata viro: tua tecta reviſe,

Consortem solare aegram, moestosque penates;
Anna tibi laetos partus, prolemque datura est
Foemineam, magno sanctae dabis omine natae
Fatidicum ductumque maris de sydere nomen,
Et Mariam dices: Annae mandata minister
Attulit haec eadem, mirantique insuper addit
Hos monitus: limen notae pete concita portae,
Qua tibi rus itur; sacris hic mane peractis,
Obvius occurret coniunx: gressu illa citato
Venit ad urbanae, quae dicitur aurea, portae
Limen, & offendit redeuntem rure maritum:
Illic suscepti hospitio communis amici,
Amplexu, longisque una sermonibus illam
Consumpsere diem, & certi de prole futura
Mane suos petiere lares; gavisa reversum
Tota domus largo dominum suscepit honore.
Haec igitur moesto volvens sub pectore mater
Aegra fatigabat tacitis praecordia curis,
Et gradiens tali secum sermone loquuta est:
Oh curae, oh vani pro posteritate labores,
Oh dolor, oh pietas infortunata parentum!
Oh studium infoelix, ubi res & tempus, & ipsa
Viscera, & exhaustas in sollicitudine mentes
Trivimus! ut canis caput aspersere dolores,
Linquimur immemores; demens incuria natos
Separat a nobis; meritorum oblita propago
Non aequat curas, & non respondet amori.
Sed quid te frustra miseram coquis Anna? quod ipsi
Fecimus, hoc patimur; patres ut amavimus, ipsi
Sic nostrum nos semen amat; taxamur eodem
Iudicio, sic fata ferunt, suspiria perdis.
Iste modus rerum mundi productus ab ortu
Transmeat ad gentem per saecula nostra futuram:
Singultire potes, turgentia lumina fletu

Exhau-

Exhaurire licet, sed ferrea fata movere
Non potes; aerei pellant sine carbasa venti;
Quod dederit fortuna libens amplectere littus,
Forsitan utilius, quam quod tibi consulet aura.
Conquestum Davida diu, pueroque iacenti
Produci petiisse dies avertere mortem
Non valuisse ferunt; audit Deus omnia, praestat
Optima; mortales audent orare, quod optant:
Opprime succensum studiis melioribus ignem,
Nec sine supremas animi dolor occupet arces.
Talibus, ut fama est, curis dementia quosdam
Coepit, & in saltus, atque in deserta ferarum
Lustra tulit; pater Aiacem narrare solebat
Insanum mactasse pecus dum quaereret hostem,
Et furias idem memini recitabat Orestis,
Quem comes ad sythicae vexit delubra Dianae:
Magna quidem credo, quotiens pugnatur in agris
Adversaeque volant acies, in praelia surgit
Tempestas; sed mens etiam quum nocte dieque
Sollicitis agitur stimulis in pectore magnos
Extollit strepitus, & grandi corda pavore
Concutit; & recte tetrici dixere parentes
Quatuor adversis miscentur, ut aequora, ventis;
Eoo, Zephyro, Libyco, gelidoque Aquilone;
Sic totidem nostras ingenti turbine mentes
Subvertit furiis pectusque in praelia mittit:
Spes levat arrectos, metus alto a vertice fluctus
Deiicit; hinc animum pulsat fatibunda voluptas:
Inde dolor; fluctus ceu fracti fluctibus altum
Clamorem ingeminant; piceis abscondita nimbis,
Nec radios fundit ratio, nec vela gubernat.
Foelices quicumque istis a syrtibus altam
Visuri pacem loca sunt in tuta recepti!
Nam neque mens ullam secus est habitura quietem,
Nec

Nec laetos sensura dies, nec dulcia saecla:
Propterea quid te miseram coquis Anna? dolores,
Et tristem dedisce metum; natura repugnat:
Moribus his monstrare viae compendia possunt
Languentes, gelidique senes; at scandere montem
Sole sub ardenti viridis male sustinet aetas:
De virtute loqui minimum, virtutibus uti:
Hoc Sampsonis opus; tamen assuetudine longa,
Assiduique operis tractu formatur, & in se
Virtutem natura trahit, praeludia multa
Egregias artes pariunt: in pace, togaque
Bella diu miles discit; mox obviat hosti
Impiger, & firmum parat ad certamina pectus:
Saepius a placitis mens est arcenda, diuque
Servitio duranda gravi; nam prona sequaxque
In peiora ruit, nisi lora retraxerit usus:
Ast ubi iam legis patiens assuetaque vinclis
Sessori parere potest, quo iusserit ibit;
Tunc ubi tempus erit casu quum tristis acerbo
Sors aderit, fert aequales rationis habenas:
Ante negat velut indomita cervice iuvencus,
Aut velocis equi soboles animosa, priusquam
Imposito scierit gressum glomerare magistro:
Ars ubi possessam mentem complexa subegit,
Quo virtus, quo sancta vocant oracula vertet;
Nam neque tunc labor est duros tolerare labores:
Quid si nata virum refugit, si nulla nepotum
Posteritas, quid nostra iuvant post fata nepotes?
Iustitiam coluisse sat est; nullius egebis
Subsidio defuncta, pios si vixeris annos:
Saepius in natis saevum pater educat hostem,
Cumque suo ignorans interfectore iocatur;
Saepe sibi lachrymas sperant, dum gaudia matres,
Atque suae pascunt ventura opprobria genti;

Pro-

Propterea vanos hominum nova fabula mores
Exprimit: hoc pelagus Galilaea quot abluit arva!
Extimuisse ferunt, olim quum vidit in orbes
Nubila convolvi; volitare per aera montes
Credidit: at postquam largus de nubibus imber
Depulit unde prius damnum, interitumque timebat;
Incrementa tulit, fusa procul aequoris unda:
Fallitur in dubiis hominum solertia rebus,
Corda nec eventus capiunt humana futuros:
Id quoque nonnunquam mentes solatur amaras;
Quid durare nihil patitur fortuna, vicesque
Mobilis alternat, ventoque simillima, proram
Nunc premit, a puppi placida modo murmurat aura:
Forsan & hos luctus minus importuna sequentur
Tempora, foelices iterum Deus afferet annos.
Talia volventi parvae iam Nazareth arces
Apparent, nigro rutilans surgebat ab ortu
Vesper, & ingenti phoebum demiserat umbra
Carmeli sublimis apex; in moenia mater
Nazareth, & fessis intrat sua limina plantis.
Vt pater accepit charae nova nuncia natae
In moerore diu iacuit, curisque sepultus
Impexi capitis canos squallere, situmque
Ducere, & a mento tristem concrescere barbam
Sustinuit; nec enim potuit cohibere querelas,
Parcere nec lachrymis, nec dissimulare dolorem;
Crebra diu mestum traxit suspiria pectus,
Et iacuit ceu truncus iners, & inutilis arbor
Frondibus amissis sine terrae fertilis imbre.
Res tandem prolata palam pervenit ad ipsas
Sacrorum & templi doctas antistitis aures,
Quem penes arbitrium nodos aperire latentes
Iuris, & obscuros legum dissolvere casus;
Ipsius imperiis altam conscendit in arcem

Con-

Concilium, venere senes aenygmata legum
Rimari soliti, & dubiis responsa parati
Reddere; iamque ultro multum citroque loquuti,
Quum certi nihil afferrent, iamque humida noctis
Tempora suaderent sacros dimittere patres,
Quaerendum quae sit coeli sententia tandem
Communi sanxere prece, & solemnia templo
Sacra dari, & dubiis orari Numina rebus;
Atque ita sedato res est certamine visa
Iudice digna Deo, quando est non reddere magnum
Vota nefas; violare piam res impia legem.
Interea sumptis divorum nuncius alis
Parthenicen adiens placidis ita vocibus infit:
Nympha puellarum coelo gratissima salve,
Cuius apud Superos iampridem cognita virtus
Floret, & in nostros crescit ventura penates:
Ne trepides, tua vota Pater firmavit, & auxit;
Nulla tuum venus est umquam visura cubile,
Virginitas aeterna tibi concessa volente
Consessu toto Superum: tibi gloria Vestae
Et Triviae debetur honos; invicta sequentur
Virginei tua signa chori, quos more Dianae
Nunc pede, nunc iaculo, nunc exercebis & arcu:
Vrsula virgineae dux, & regina cohortis
Hoc explebit opus, tandemque in sydera magnum
Agmen aget celebrem referens ex orbe triumphum:
Tethios occiduae populi, littusque Britannum,
Et gelidi faciles pugnas gens accola Rheni,
Dulciaque arrecto cernent spectacula vultu.
Laus igitur te magna manet; rude vulgus, & ipsos
Iura sacerdotes non intellecta fatigant,
Et Deus ingratas atra caligine mentes
Tardat, & in poenam scelerum deludit inani
Corda metu; rident Superi; ceu grandior aevo

Se-

Securusque animi iuvenis, si pectora quando
Infantum obscurae trepidant formidine noctis:
Ipse adero; nam veni huius certaminis ergo.
Lex ea, quae fieri matres, & nubere cogit,
Lata est quum pauper veniens ad templa senatus
Parvaque plaebs humiles sacrum ponebat ad aras:
Postquam magna virum crevit fortuna, tribusque
Vix duodena solo capitur, servare pudorem,
Et thalamum nescire fuit praestantius: ergo
Eliades errasse putant? iam saecula, postquam
Expertes veneris degunt, bis quina propinquant:
Hi populis exemplar erant, ne crederet ullus
Esse nefas syncerum esse, & dedíscere taedas:
Tu tamen es tradenda viro, qui frigidus annis
Atque tui consors voti custosque pudoris,
Non invasor erit; tacita nos arte movemus
Corda hominum; non tot fingunt, se Prothea quondam
Immutasse modis, nec tot variasse figuras,
Quot formis animos hominum mutamus; aguntur
Quo minime credunt; sed nos in sancta vocamus
Officia; ast alii trahunt, retinentque vocatos:
Vt quando in levi stat ferrea lamina disco,
Si dextra magneta loces, adamanta sinistra,
Quo veniat nescit, dubitatque utrinque vocata
Cui faveat, cuius magis hortamenta sequatur:
Tu voti secura omnem mihi desere curam;
Ibo, & pervigili tractanda remetiar arte.
Vix ea finierat quum fracta nube solutum est
Corpus, & in ventos assumpta recessit imago.
Tempora velatae tensis ad sydera palmis
Convenere nurus, pueri, trepidaeque puellae,
Rugosique senes tremulo pia murmura mento
Volvere certabant superosque movere precando
Canicie ostensa Divis, & vertice nudo;

P Et

Et tremulis circum lucentes ignibus aras
Sancta sacerdotes, albaque in veste ministri
Carmina, & insigni celebrabant orgia ritu:
Tertia lux aderat postquam vulgata per omnem
Concilii concordis erat sententia turbam.
Iam labor orantes & diffidentia tardos
Reddiderant, segni frigebant pectora motu:
Tum divina preces mens quae non despicit aequas,
Ad summum secreta dedit responsa choragum
Sacrorum; tenues fugit levis ille per auras
Ingressusque senis nocturna cubicula somnos
Abstulit, & tali est aggressus voce paventem.
Sumere thraicia virgas de fronde tribules
Quemque suam, & ferri sumptas in templa iubeto:
Mane revertantur, cuius frondere cacumen
Videris, illius domino coniunge puellam:
Haec ait, & motis abiens evanuit alis.
Mane senex, sol ante iubar quam tolleret undis,
Convocat extemplo patres, missoque per urbis
Compita perque domos populum praecone coegit.
Confluxere omnes, campo plebs densa patenti
Vix capitur, surdum spaciosa per atria murmur,
Confusumque sonat pede pes, & pectore pectus,
Virque viro premitur; ceu quum collecta theatro
Stabat Roma graves simul auditura tragoedos.
Conventu senior patrum stipante sacerdos
Exiit, & tandem populo divina silenti
Iussa aperit, didicitque tribum, iussitque solutos
Connubio acciri, virgisque in templa relatis
Vota, precesque iterant; magicis componere quidam
Philtra veneficiis, circeaque carmina, & herbis
Phasidibus voluere novas inducere frondes:
Horum unus vetitas artes edoctus, ut almum
Intempesta diem tacitis nox abstulit umbris,

Solus

Solus in aeriae turris fastigia secum
Arma, togasque ferens sacravit manibus aram
Sub divo; testis nemo nisi ventus, & astra,
Nocturnasque preces iterans praescire volebat
Parthenices ne sibi thalamum sperare liceret:
Ecce per aerios tractus magno agmine ab arcto
Spiritus obscuris ad turrim annavigat alis.
Qualis ubi veniens ad foeda cadavera vultur
Brachia praecipiti iactat plumosa volatu,
Atque gradum sistens nigro sic incipit ore:
Fare, quid infernas nocturnis cantibus aures
Sollicitas? quaesita dari responsa vetantur:
Aetheriae prohibent animae, numenque triforme;
Altius abstrusum latet hac in virgine quiddam,
Quod dici scirique nefas; sententia nostros
Circumfert anceps animos, fortisque futurae
Ambigui casus multaque ambage latentes.
Sicut quum modo sol nubes, modo nubila solem
Exuperant, nunc laetatur, nunc moeret arator
Spemque metumque inter dubius; ne discere tanta,
Quae quoque doctorem fugiunt, communia quaedam
Fabimur, addentes quae nec didicisse pigebit,
Ne frustra videare Deos in vota vocasse;
Quandoquidem te non minimo dignamur amore:
Nos inspectores scelerum sumus, orbe futuri
Vltores alio; saevi sunt vincla dracones,
Tartarus est carcer, sunt verbera, frigus, & ignes,
Lux incerta diem spargit, per nigra malignam
Tecta sonant late planctus, plebem ordine terno
Dividimus; primo purgati crimine circo
Poenarum expertes degunt; ea tecta vetustas
Elysium vocat; hac vates, & longa parentum
Progenies ventis habitant statione duobus;
Hi partus spectare novos dicuntur, & arcem

Aetheriam sibi promittunt, finemque propinquum
Exilii musant; apud hos de virgine quadam
Plurimus, & multa tectus caligine sermo
Vertitur; hi nec adhuc faciem videre tremendam
Regis olympiaci; sola haec & maxima poena:
Sedibus his quondam venturo numina saeclo
Sufficient; hos a nobis nulla auferet aetas:
Alter habet fontes animas, quibus igneus ardor
Eximit infectum scelus, & telluris odorem;
Hae, nisi soletur pax expectata quiesque,
Vix tormenta ferant, tanto locus aestuat igne:
Tertius infoelix hominum genus orbis in amplo
Carcere convolvit; magis haec discedit ab astris
Introrsumque fugit regio; penetralia nostri
Principis hic, altis animae fornacibus ardent
Spe viduae, nullamque audent sperare quietem;
Iuppiter huc multas, multas huc mittit Apollo;
Mercurius multas, nec non Saturnus, & auctor
Bellorum, Phoebe innumeras, & nata Diones:
Pellitur huc quicquid coelum fastidit, & hirquis
Despiciunt Superi obliquis; sors ultima rerum hic:
Nos vero, quotiens animas è magno revocat orco,
Illarum assumpta mentimur imagine vultus;
Carminibus, foliis, avibus, fumoque ligari
Dicimur, & circumductis in pulvere signis:
Sed veluti plerisque aliis, ita fallitur isto
Mens hominum; veniunt ultro nostraque salute
Solliciti manes, vobis ventura loquuntur:
Dixit, & alato discessit in aera tergo.
Perculsum trepida iuvenem formidine fortis
Poenituit, secumque putans audita severos
Carmeli patres adiit; tunc omnis heremi
Cura fuit penes hos, & coelibis ocia vitae:
Moribus auxilium fractis habiturus ut altam

Se

Se tulit in montis requiem, fylvafque filentes
Per fecreta tulit greffum fpelea, virumque
Vivendi coelefte genus miratus, amorem
Imbibit immenfum coeli, feque ipfe perofus
Incola Carmeli vixit, tandemque voluto
Tempore quum magno Fidei myfteria Paulo
Edidicit, Mariae primus cum patribus aedem
Vertice Carmeli pofuit, fociofque vocatos
Ad Iordanis aquam luftralibus abluit undis.
Quum Baptifta novae iaceret primordia gentis
Hifpidus hirfutae villofo tegmine caprae
Protographus Lucas Agabum vocat, omnia multo
Ante videns animo fuit interprefque futuri;
Namque catenarum nodos, & ferrea Paulo
Vincula praedixit, longofque per aequora curfus,
Vipereos morfus, fimoniacofque volatus
Infidiafque fuae gentis, bellumque fub ipfo
Et celebrem palmam, venturaque fata Nerone.
Sed Deus elatas ftudium, cui fallere mentes,
Frigentem, & cafto folitum fervire pudori
Elegit de plebe virum, cui cana fenectus,
Cui cana fulcantes crifpabant tempora rugae:
Mane revertuntur fcrutatique ordine virgas
Vt videre fenis fummum frondere cacumen;
Illud thraiciae de phylidis arbore tractum
Vimen erat, longaeque nuces in fronde virebant;
Invidit, ceciditque animis fraudata iuventus:
Vt quando in fomnis aurum fe credit avarus
Inveniffe, dolos meditans exultat inani
Laetitia; mox evigilans fua fomnia moeftus
Volvit, & in triftes abeunt nova gaudia curas.
Ducitur in medium fenior, plaufuque fonoro
Sufceptus iuffufque gradu difcumbere fummo
Obftupuit; nec enim fenio iam fractus Iofeph

Ad

Ad tam insperatos animum tollebat honores:
Venerat edicto cupidus parere, relictam
Mens vel ad incudem, vel ad aerea signa vocabat,
Et tanta haec fieri de se spectacula nunquam
Crediderat: iuvenes post tam manifesta repulsam
Omnia perpessi demissis frontibus ibant,
Et rerum ignaris tam florida Virginis ora
Non bene conjungi gelidae turpique senectae
Murmur erat; tamen, & virgae nova signa virentis
Moesta per ancipites ducebant pectora curas;
Discessere loco, virgisque abiere relictis.
Interea matrum longa comitante caterva
Adduxere nurus insignem in templa puellam,
Cuius ad aspectum, quamquam trascenderet ore
Omne decus mortale, tamen suppressa libido
Omnis, & extincto semper venus igne quievit,
Ac si ferventem gelidos in dorida rores,
Palladiosque super calcem diffuderis imbres.
Ardua quadruplici surgebant ordine templa
Porticuum; communis erat pars extima cunctis
Foemineis etiam turbis, quas menstruus humor
Liquerat: ingrediens igitur diffusa secundo est
Tota cohors circo, miti sacra pronuba nuptae
It comes, accedit iuncto vir auspice longum
Agmen agens, mediam volitans hymeneus in aedem;
Iungite clamavit foelici sydere dextras,
Sanctaque longaevae connectite foedera vitae:
Iamque pio coniuncta seni, celebrataque longa
Festa die, dictae laudes, & reddita summo
Vota Patri, laetiquae omnes in tecta reversi,
Laetior adventu natae generoque sedebat
Canitie compta nitido velatus amictu
Inter utrumque Parens, manibusque utrinque tenebat
Complexus generum dextra, natamque sinistra,
Mul-

Multaque connubio super atque recentibus actis
Commemorans toti grates solvebat Olympo;
Interdumque iocans, & debilis immemor aevi
Iucundos movet ore sales, risuque modesto
Solvitur, & vires animo praebente ministris
Instat, & appositis sterni caenacula mensis,
Ornarique iubet thalamos, & limina multa
Fronde coronari, spargique per omnia flores
Atria purpureos, hederis vestire columnas,
Virgineasque fores lauro foliisque Minervae,
Cedrinas velare trabes, spargique recentes
Sub pedibus violas, & hiantia lilia summo
Vertice, quae in tales mater nutriverat usus,
Serpillique comas semper virentis in orbem
Texebant nymphae, filoque in serta ligabant
Gramen odoriferum, casias, excisaque cultris
Balsama marmoreis, nardi fragrantis aristas,
Cinnamaque, & crines suave spirantis amomi;
Teque amaranthe locant, te mollis amarace, & horti
Quicquid alunt Cilices, quicquid Panchaia, quicquid
Idalii saltus, redolet domus, omnia plausu
Leticiaque sonant, hilaris labor omnia miscet:
Dumque ita fervet opus sponsi Deus ora sopore
Pressit, & irati sub imagine nuncius oris
Visus adesse seni, vultu qui sancta severo
Haec mandata dedit: teneros tibi iungimus annos;
Non feram, ut frustra in venerem tua languida virtus
Ardeat, amplexus gremiumque in virginis huius
Ire cave, iussumque Dei ne sperne monentis.
Paruit, & memori servavit somnia mente,
Atque cupidineos sensit non amplius ignes;
Iamque dapes, & vina ferunt paterasque coronant;
Discumbunt hilares circum longo ordine mensas,
Et foecunda animis celebrant convivia laetis:

Post-

Postquam pressa fames, & pectora mitis hiacchus
Lenivit curas abigens, frontisque severae
Triste supercilium cithara praeludere eburna
Coepit, & argutas aptare in carmina voces
Lydius, hic tactis aequabat ariona nervis
Orpheaque, & clarum dirceo amphiona plectro:
Carmen erat, summae dorso fundata Sionis
Regia, qua quondam Solymi moderamina sceptri
Stirpis Iessaeae princeps exercuit armis
Inclytus, & pacis studiis praeclarus; ab illo
Virginis atque Viri genus, antiquamque trahebat
Progeniem, & mixtae numerabat stemmata gentis;
Addebat Noes fluctus, puppimque natantem,
Innocuasque rubi flammas, & limina nunquam
A foribus seiuncta suis, plaebique parere
Nescia, & unius gressum admittentia regis;
Caelantemque deos ficto Labanida vultu,
Velleraque, & siccos magni Gedeonis imbres;
Atque uti fiscellam placida gestaverat unda
Nilus, & infantis miseratam fata puellam,
Et convulsa novas virgulta ferentia frondes
Adiungebat, uti peregrinas aequore cedros
Compositis ratibus condenda ad templa vehebant
Sydonii, ut multo paries effulxerit auro,
Miratumque gradus hominem, qui clara petebant
Sydera & ingentem divini foederis Arcam,
Et quam fatidico populis Balahamus eois
Carmine praedixit flammam sydusque futurum:
Sed iam praecipiti phoebus sub tartara curru
Ibat, & occiduis aries sua merserat undis
Vellera, & ardenti surgebat scorpius ore:
Iamque soporiferae tempus dare membra quieti
Suaserat; at Virgo secreti sola cubilis
Clausa loco curis aperit coelestibus almum

Pectus, & in summum sensim levat aethera mentem:
Vnam ad se comitum vocat in penetralia tecti,
Praestantem egregio vultus animique decore;
Mnemosine genitrix illi, pater usus ab ipsa
Coelesti genus arce trahit; nam conditor orbis
Est avus; hanc graisophiam dixere priores,
Nare sagax, oculis penetrans cava tartara, & altum
Aetherea, nullius linguae non ullius artis
Inscia, labe carens, viciis infesta, pudore
Circumfusa genas, & iaspide pectus & auro
Splendida contexto, causas & nomina rerum
Per media ex imis gradiens ad summa, Deumque
Et mundi metitur iter; hac indice Virgo
Insomnis ducens taciturnae tempora noctis
Contemplatur, uti rerum longaeva propago
Texta sit, unde prior mundi descendit origo,
Et chaos, & sylvam informem; discretaque formis
Corpora paulatim, varias induta figuras
Vi propria petens suis loca viribus apta;
Atque gravem liquido suspenderit aere terram
Omnipotens opifex duplici cum prolis honore,
Oceanumque suis complexum fluctibus orbem
Fuderit, aetheriis incluserit ignibus auras;
Vtque feris terras, mare piscibus, aera cessit
Alitibus variis, ornans animantibus orbem;
Vt vaga perlustret phoebus duodena quotannis
Sydera fraternum fugiens iter, & modo tractus
Erret ad austrinos, elicen modo visat ad arcton;
Vt proculi a phoebi Venus & Cyllenius igne,
Ne volitent verso referant vestigia gressu;
Phoebus ut obliquo nunquam discedat ab orbe,
Atque viam retro gradiens observet eandem;
Claraque nocturnis splendoribus imbuat astra;
Et rubicunda feri quae lex incendia martis

Volvat, & egregium iubar, & Iovis ora benigni,
Atque senem pigrum curvata falce minantem;
Vt super octavi radiantia sydera coeli
Certa lege meant, & scintillare videntur;
Altius extollens mentem curvamina noni
Orbis, & aeterno splendentem lumine mundum,
Et tenues miratur aquas glacialis olympi,
Vltimaque immensae formata volumina molis;
Lanigeri sublime decus, taurumque nitentem,
Et geminos Helenae fratres, aversaque cancri
Sydera, quae Aethiopes urunt, Indosque, Arabesque,
Atque Molorcheum stellata fronte leonem;
Et iubar strigonum, aeduataque brachia librae,
Virosamque nepam videt, aemoniasque sagittas,
Cornuaque aegoceri gelidis humentia nimbis,
Et liquidos urnam rores ventosque cientem,
Atque dioneos lucenti tergore pisces:
Hinc dextra levaque faces ardore coruscas
Suspicit, & coeli claros examinat ignes,
Pleiades septem, quarum minor una latere
Dicitur, & pluvias hiades pavidamque capellam;
Post rapidum leporem iugulans, & Procyon ustum,
Morbosumque canem, & corvum cratere tenentem;
Inde coronatae rutilans Minoidis astrum,
Et non longa situm post intervalla sagittae
Sydus, & aetheriis errantem tractibus haedum,
Orpheamque liram, & flammis lucentibus aram
Suspiciens coeli aeternos meditatur honores:
Cursibus alternis mundum ferri atque referri
Ex austro in boream, ex borea miratur in austrum,
Et fieri ut gelidam tellus coniecta sub arcton,
Dum bibit aetherios admoto sole calores,
Mitis & humanae reddatur idonea vitae.
Mens calefacta deo, sanctisque exercita curis,
Atque

Atque laborando vires, & robur adepta
Altius it semperque magis terrena relinquit:
Iam superis admixta domos explorat & arcem,
Et solium sublime patris, quod plurima circum
Turba leves animi volitant, decimoque sedenti
Orbe Deo adsistunt vigiles, & cuncta fideli
Iussa ministerio peragunt, versantque rotatu
Sydera perpetuo quidam, mortalia quidam
Facta regunt, pressasque gravi sub mole tuentur
Corporis humanas mentes, & regna gubernant:
Omne per hos exercet opus Pater, ipse quieto
Tranquillus sceptro sedet, & complectitur orbem.
Virginis hae curae, sesequae oblita virumque,
Miscetur divis coelique palatia lustrat,
Atque thoro recubans summo spatiatur Olympo.
Interea Virgo thalami dum sola recessu
Excubat occulto per longa silentia noctis
Fatidici vatis, quem ferrea turba gementem
In geminas secuit dentato robore partes,
Codice versato primum locus ille legenti
Obvius occurrit, gravidam qui Virginis alvum
Praecinit, & magni prolem mortale tonantis
Corpus & humanae subituram incommoda sortis.
Oh foelix nimium (dixit) quaecumque futura es,
Et matres longe ante alias dignissima Virgo,
Quae paritura Deum fruituraque coelibe lecto,
Magna senescenti renovas miracula mundo!
Non ego communi patrum te labe volutam
Crediderim talem, cui dant oracula palmam:
Tu vetus extingues vicium scelerique reclusa
Limina concludes; tu protoplastis acerbam
Ingluviem delebis agens nova saecla novumque
Foedus, & humanum supra genus omne fereris:
Te tua te ventura omnis mirabitur aetas,

Et tibi perpetuis ardebunt ignibus arae.
Oh mihi, si tantum non est audere superbum,
Concoeptus liceatque tuos vultúsque tueri!
Dicite Carmeli, qui sancta silentia montis
Incolitis vates vatumque aeterna propago,
Quos imitans, taedas sum dedignata iugales;
Dicite quae regio iubar hoc quae proferet aetas?
Credimus e terris venturam ab aethere summo
Lapsuram? tali ne hominum debetur origo?
Dumque ita coelesti mentem succensa calore
In laudes ignara suas prorumpit, Olympo
Labitur, & veniens fulgentes explicat alas
Nuncius, & celeri penetrat secreta volatu
Limina; ad ingressum subitae perterrita lucis
Extulit attonito titubantia lumina vultu,
Et formam mirata viri tabescere castum
Pectus, & insidias metuens pallescere coepit:
Aliger arguta referans nova nuncia voce;
Pone metus, inquit, superis gratissima Virgo;
Laetus ab aetheria venio tibi nuncius arce,
Aeterni iucunda ferens mandata Tonantis;
Conceptura novos ullo sine semine foetus,
Et prolem paritura Dei, materque futura es
Stirpis olympiacae, tactus non passa viriles;
Et Deus ipse tuam veniens labetur in alvum
Gressibus occultis, tuaque intra viscera corpus
Ipse sibi formans post nonae tempora phoebes
Exiet humanae velatus imagine formae,
Arma ferens pacis venit, atque salutifer orbi;
Propterea sanctam dabis attestata salutem,
Nomina in immensum crescent, venturaque magno
Saecula consensu, templis congesta superbis
Dona ferent illi, rutilo qua surgit ab ortu
Lucifer, hesperias & qua declinat in undas,

Qua

Qua micat arctophylas, latum qua sustinet orbem
Axis inocciduus resonans, qua nascitur auster;
Imperio premet omne genus telluris, & unde
Possessurus opes coelique habiturus honorem
Perpetuum, & mundum aequatis recturus habenis:
Sed neque fulgentes auro radiante coronas,
Nec tyrios regum feret ornamenta colores;
Non illi sublime domus dabit ardua culmen,
Marmora nec tollet subeuntibus alta columnis
Viventi; non Martis opus, non aerea tela
Tractabit, rigido non oppida milite cinget,
Nec ruet aerias arces, non aequora grandi
Classe premet, non hinnitus laudabit equorum,
Nec quae bella movent horrenti classica cantu,
Ferrea nec mittet captos in vincula reges,
Nec populo illustres ducet spectante triumphos;
Scilicet haec homines curant, nos alta tenentes
Qui regimus totum, damus haec, non quaerimus orbem:
Non illi humana bellum est cum gente; superbum
Spirituum genus atque procax atroxque, quod ausu
Divinum ingenti iam vulgo usurpat honorem,
Impetit huc belli vires, huc dirigit omne
Robur, & haec agitur non ferro, pugna, sed astu.
Quid fieri maius poterit quam trudere divos
Sedibus antiquis, & avito pellere regno?
Sed gravis humanas premit ignorantia mentes;
Nam quod promittunt venturo oracula Christo
Imperium mortale putant, vatemque futurum;
Terrena tantum ducunt a stirpe, Deumque
Esse negant; hinc errorum descendit origo:
His delusa dolis, & eisdem ambagibus olim
Perfida posteritas longum sperabit in aevum,
Speratamque videns non apparere salutem
Exiliique moras longi mirata, nec audens

Vera

Vera sequi, nugis & spe pascetur inani.
Foelices annos, & quae tua protulit aetas
Aurea! non Caesar renovavit saecula, verum
Tuque puerque tuus, nam primi dulcia mundi
Tempora converso coeperunt currere gressu:
Laeta quies oritur, niveis pax aurea pennis
Descensura leves humeris circumligat alas;
Iamque mei nocuos ignes, infestaque terris
Sydera compescunt comites, oriona saevum
Icariique canis rabiem, pedibusque rapinam
Stringentem curvis aquilam, teretemque sagittam,
Caeteraque ingratos hominum medicata dolores
Astra premunt, flammasque iubent regnare faventes.
Nuncius haec: umilis firmato pectore virgo,
Imperio, dixit, magni parere Tonantis
Cogimur, & miti curvans caput annuit ore.
Candida virginitas, simplex prudentia, velox
Et matura fides, humilisque modestia totos
Laetitia implevit coelos, & sydera cantu.
Tum divina gravem subitis conceptibus alvum
Extulit, atque sinus soboles extendit onustos;
Sicut in adductos penetrat quum lubrica folles
Aura, cavernosum surgens tumor exit in orbem.
Mirata est crevisse uterum natura, suumque
Esse negavit opus, trepidas ut virginis aures
Aliger afflavit coelesti nuncius ore.
Divulgata polo res est, mysteria norunt
Aetherii cives, Mariae tunc aethere toto
Nomen honoratum, coeli cantata theatris
Virginitas foecunda fuit nondum agnita nigris
Manibus, infernove Iovi: sub hypostasin unam
Naturae coiere duae; quae copula divos
Gentis in immensum nostrae convertit amorem:
Nec grave coelitibus fuit ipsa relinquere summi
Tecta

Tecta Patris, nostraque dies cum virgine longos
Ducere, & occulti referare negocia coeli.
Ipse puellari forma mentisque decore,
Laetior accito divum Pater agmine, sanctos
Alloquitur cives, circumstantemque coronam
Spirituum; alloquio Patris exultavit Olympus:
Vtque prius multa sublimen laude puellam
Extulit, illustres atavos & nomina clara
Gentis Iessae referens, delataque coelo
Sacra, piosque animos antiquae stirpis, inanem
Luciferi ostendit sedem; contermina semper
Regali fuit illa throno, sceptroque Tonantis:
Tum memorans veteres rixas primaevaque bella,
Cur non una omnes habeant habitacula divi,
Discretisque locis habitent, quare altior illos
Orbis habet, cur lunam alii, cur cyprida quidam
Mercuriumque colant, cur sic partitur Olympum
Lex aeterna docet; cur eant in sydera mentes
Terrigenae, quae nam ratio persuaserit illis
Deberi aetherios coelestia tecta per orbes
Monstrat, & haec dictis posuit sententia finem.
Sicut luciferi locus hic sublimior inter
Eminet aeterni numerosa sedilia regni,
Sic Virgo, quam parva domus angustia claudit,
Et Mariam pressae monstravit acumine virgae:
Humanis animis longe est praestantior, illi
Non fati ratio, non coeli mobilis ardor
Destinat hoc solium, sed lege coercita mentis
Liberatae & noster amor: sic fatus, & omne
Laetitia fremuit coelum, diffusa voluptas
Coelestes animos rapuit, sonuere theatra
Plausibus, assensu superum vulgata per omnes
Elysii campos, magni est sententia Patris;
Temporeque ex illo semper toto aethere Virgo est
An-

Angelicis praelata choris, & dignior omni
Agmine spirituum rutilo, cylentia quantum
Marte minor flamma est, vel quantum Delia tristi
Cedit avo, tellusque Iovi, Venus aurea Phoebo.
Iunctus erat soli trepidae non immemor helles
Corniger, orion non exurgebat, & argo
Palluerat, gelidam vergens auriga sub arcton,
Praecipiti curru nitido sub Apolline tectus:
Ibant, & occiderant hiades, haedique parensque;
Tollere fulgentem medio nox humida cursu
Caeperat egoceron, primisque emissus ab undis
Spectabat geminos erecta fronte cadentes.
Plena deo mater, foetuque animosa latenti
Trans iuga trans altos saxosa cacumina montes
Se tulit ad sera foecundam prole parentem:
Cognatamque nurum partus visura beatos,
Virgineoque sinu parvum strictura nepotem;
Dumque viam carpit pedibus calcata pudicis,
Gestiit immensum tellus, & dulcia longo
Tempore servavit presso vestigia dorso;
Tota venustatem regio mirata decusque
Aetheriae frontis, fusumque per ora pudorem:
Arrisit procul omnis ager; nemus omne virentes
Exorto iam vere comas curvavit, & ibat
In flores tunc omne solum, flagrantia rura
Purpureas passim violas, & candida passim
Lilia fundebant, nitidis e fontibus undae
Volvebant dulces cursu crepitante susurros;
Assyrii colles assurrexere, Taboris
Se iuga flexerunt, dominam speculatus ab alto
Vertice Carmelus caput inclinavit apricum,
Coniferas pinos, & odoriferas cyparissos:
Blandior alternis flectebat nutibus aura,
Aura laborantis tenui spiramine circum

Col-

Colla ſinuſque volans, & candida Virginis ora;
Terra ſuas monſtrabat opes, & lucidus aether
Nubibus expulſis vultu ridebat aperto:
Crinibus auratis ſolitoque decentior acres
Sol urgebat equos terſoque ardebat Olympo;
Qualis erat prima genitor qua condidit illum
Luce Deus, quum clara novis ſplendoribus aſtra
Alta per inſuetos ferrent veſtigia greſſus.
Attulerat ſextum gravidae iam Delia menſem,
Et pleni languebat anus ſub pondere ventris;
Haec erat hiſmerae claro ſata ſanguine magni
Zachariae coniunx, cui nomen Eliſabeth, annis
Iam gravis, haec longo ſterilem ſe fleverat aevo;
Oranti tandem Divum data munere proles
Indice porrecto demonſtratura Tonantem,
Et lotura ſacro venientem flumine turbam.
Vt conſanguineas iunxerunt oſcula matres
Mutua, & iniecti ſtrinxerunt colla lacerti
Grandior afflatu vicini Numinis infans,
Geſtiit, & ſubito dominum confeſſus honore
Maternam inſolitis concuſſit motibus alvum:
Tunc anus adventu charae laetata puellae,
Et ſuccenſa Deo dixit: Tu ne illa propago
Expectata diu nobis promiſſaque noſtris
Patribus, & ſacro vatum celeberrima cantu,
Quam mea iam ſero genuit matertera partu?
Oh decor, oh ſummo facies digniſſima coelo!
Te tandem terris ſuperi oſtendere; quid ultra
Triſtia primaevae flemus convivia matris?
Oh veterum ſpes longa patrum, ſpectabilis almam,
Quae reparas aurora diem! Quae diſtulit ortus
Nox tam longa tuos, quae cauſa ignota ſub umbris
Hoc illuſtre iubar tenuit, nec protulit ante
Lumen olympiacum radios? oh quanta ſepultos

Cura tui proavos tenuit! panduntur ab alto
Aethere foelices anni, nova nascitur aetas!
Sydera tu mundo reseras, tu tartara claudis,
Tu genus instauras hominum, profugamque paterno
Solvis ab exilio gentem; fortissima certe
Debbora bellatrixque potens, animosa Virago,
Quae ducis assyrii caput, atque fluentia tabe
Colla secans pavidos hostes dare terga coegit;
Ipsaque Persarum quondam gratissima regi,
Quae genus ulta suum summo dedit oscula sceptro,
Clara fuit multoque nitens resplenduit ostro:
Hae summum meruere decus laudemque superbam;
Tu tamen has omnis superas; ut saecula portans
Aurea, foeminei tollis convitia sexus:
Iam Deus antiquae commissa piacula fraudis
Ponet, & irasci terris iam desinet aether.
Fortunata parens, foelixque viscere sancto;
Progenies sanctaque; Puer, qui clauditur alvo!
Non erit haec tua vana fides, nec muneris huius
Latorem frustra credendum est aethere missum:
Ipse pater, quod coepit opus formabit ad unguem,
Irrita nec tantae fient exordia laudis.
Oh me foelicem tua, quem licet ora tueri,
Sicque tuos olim liceat mihi cernere partus,
Atque meo gestare sinu! quam laeta futura est,
Quam iucunda dies, quum nostra tuebimur ambae
Pignora, versari simul, atque incedere iunctis
Gressibus, & laeta fari & colludere fronte;
Vna aetas ambobus erit par cura par aevi
Terminus, & vivent una duo pectora mente!
Quam bene mortali superum clementia morbo
Consuluit, vulnus virgo, medicamina Virgo
Contulit; illa necis, dedit haec primordia vitae;
Illa tulit belli causas, haec femina pacis;

Illa

Illa venenosae ſtygiis lactata megerae
Uberibus, gelido conceptum pectore virus
Expuit in natos nigroque afflata colubro
In genus omne ſuum ſpumam eructavit averni;
Cuius odor, poſtquam coelos & tecta Tonantis
Attigit, extemplo valvas offenſa patentes
Numina clauſerunt, totuſque excanduit aether:
Iſta ſalutari totam ſe proluit imbre
Nectarei fontis, vitalia pocula dulces
Ambroſiae ſuccos plenis crateribus hauſit,
Mellifluoſque bibens latices, quos magnus ab hortis
Helias eois mittit, ſe in flumina vertit
Lactea, quae ſemper plenis currentia ripis
Omne ſolum luſtrant; haec ad ſpectacula verſus
Ipſe Pater clauſi limen reſeravit Olympi.
Vnde igitur mihi tantus honos, unde iſta repente
Gaudia prorumpunt? ut ſemine plena Tonantis
Foemina ſacratos ferat ad mea limina greſſus?
Haec anus: at ſenior vocis, cui clauſerat uſum
Imbecilla fides, cano venerabilis ore
Signa dabat, flexaque Dei cervice Parentem
Hoſpitio ſuſcepit ovans, oculiſque manuque
Aetherea monſtrabat prius, & mox hoſpitis alvum.
Regia Parthenice divino afflata calore
Iucundum cecinit carmen, non Lesbia tale
Foemina, facundi non teia muſa poetae,
Non fatus eumolpho, non ipſe oeagrius orpheus,
Non ſonuit dircaea chelis; qua docta ſuperbit
Graecia, qua ſeſe iactat cadmaea propago:
Id quamquam noſtro minus eſt tractabile verſu,
Subiiciam tamen, & ſenſum non verba reponam.
Magnifice regem mea mens extollit Olympi,
Et Deus exhilarat ſancto mea viſcera plauſu:
Vidit enim pectus ſupplex humilemque miniſtram,

 In-

Ingentique meos vestivit numine sensus;
Propterea ventura canent me cuncta beatam
Saecula; namque modis in me surgentia miris
Omnipotens rerum miracula suscitat auctor:
Ipsius aeterno clementia flumine torrens
In genus omne fluit, sicut de doridis alvo
Perpetui volvunt plenis vada cursibus amnes:
Explicuit forti vires, animumque lacerto,
Atque suo elatas dispergens robore gentes
Eruit excelsos umilesque in sceptra vocavit:
Esuriem saturans inopum, dimisit inanes
Qui terrae rimantur opes: divina videntis
Suscepit miserans pueri genus, atque fidele
Semen, ut antiquis responsa parentibus olim
Abrahamo natisque dedit, prolique nepotum.
Luna ter umbrosum radiis impleverat orbem,
Iunctaque fraternos totiens amiserat ignes,
Quum coetu comitata gravi davidica Virgo
In patriam reduci flexit vestigia gressu:
Humida littoreus iam brachia tollere cancer
Coeperat, & claros procion abscondere vultus;
Et iam flava ceres campis albebat apricis,
Fronde coronatus matura per hordea messor
Ibat, & in curvis spoliabat falcibus agros;
Iam longo sudore madens, gravibusque flagellis
Robustas armata manus tritura per omnes
Assyriae campos, & dulcia rura coaspis
Sternebat fragiles calamos, paleasque volantes,
Atque sub ardenti sonitum dabat area phoebo:
Pallida conceptum facies prodebat, & alvus
Maiori suspensa sinu, pectusque levatum
Exili vox clausa sono manifesta latentis
Signa dabant foetus; nam nec celare tumorem
Cura fuit, nunquam foecundi pondera ventris
Diffi-

Dissimulavit agens tenues ad pectora vittas:
Sicut enim trepidare facit mens conscia culpae,
Sic animi simplex probitas, & cognita virtus
Efficit impavidum pectus; fugit impius ultro,
Iudiciumque pavet; frontem pius audet apertam
Tollere; non regis vultum, non iudicis ora,
Non rigidos lictorum enses formidat; ut acres
Non metuit flammas aurum, non verbera ferri
Dura potens adamas, nec onustae pondera palmae:
Arx est ipsa sibi virtus, ipsa eruit arces;
Ipsa feras, hominemque domat; non horret inermis
Ire per hostiles cuneos, inimicaque castra.
Hoc externa docent, & nostrae plurima gentis
Quae facerent exempla fidem: cur Scevola dextram
Misit in ardentes prunas, & brachia flammis
Exurenda dedit? pavor est tot millibus unus,
Quem propriis virtus gladiis armavit & hasta:
Cur tranavit aquas, tiberinaque flumina virgo,
Cui populus statuam posuit romanus equestrem?
Cloelia quo clypeo tuscum, quibus ensibus hostem
Vicit? ei lorica fuit catapultaque virtus:
Fortior una viris, ducibus praestantior una,
Cautior una fuit mulier, cui provida virtus
Praestitit ingentes animos & ferrea corda,
Quum ducis ausa fuit correpto guttura cultro
Stringere, & in peram caput insertare tyranni:
Regulus ad libicas iterum freta navigat arces,
Impavidumque ultro caput ad tormenta reportat.
Praetereo Christi passos immania testes
Funera, Laurentique ignes, Paulique catenas,
Atque revertentem sua per vestigia Petrum:
Aspice ridentem siculi mandata tyranni
Zenonem, & regis versos in vulnera cives.
Sed quid rem minime dubiam fulcire probando

Per-

Persequimur? nihil est virtute potentius; ergo
Parthenices moniti exemplis, quae scimus Olympo
Grata, sequi studioque opus est servare tenaci
Quod superi laudant: quid si mortalia linguis
Ora venenatis carpant? sub iudice coelo
Vivendum; demens quisquis mutabile vulgi
Vivit ad arbitrium, nobis concordia divum
Sola sat est, si quando meos Deus arbiter actus
Approbat, indoctae quid me contraria turbae
Flectit ab incoepto vitae sententia cursu?
Non erat haec Semele Bacchi, non Ilia mater
Romuleae gentis, nec magna atlantias hermis
Maja parens danaaeve auri delusa nitore;
Non erat Alcidae genitrix, nec Agenore nata,
Filia nec Caei, nec se mirata iuvencam
Inachis, illicitos falso quae nomine partus,
Admissumque scelus titulo vestiret Olympi:
Haec erat alma parens, verique insigne Tonantis
Hospitium, regis superum immortale sacellum;
Et quoniam divum tenuit consortia semper,
Plusquam hominum superis fidens neglexit inane
Iudicium, nugasque hominum, miracula ventris
Esse Dei si norat opus, cur debuit ullis
Occultare dolis? ipso quas auspice coelo
Debuit insidias hominumque bella vereri?
Quas trepidare manus? igitur secura tumentem
Ipsa sub ora viri sine fraudibus attulit alvum.
Vir tamen occurrens, ut Virginis ora reversae
Pallida conspexit tumidumque exurgere ventrem,
Saucius; ut nigro, qui nescius obviat angui,
Obriguit, gelidum tremuit sine sanguine pectus;
Dissimulat tamen, & ficto tegit ore dolorem:
Quid faciat, quo se vertat, quid denique captet
Consilii nescit; ceu quando ignota viator

Com-

Compita defixae incumbens examinat haſtae ;
Vt iactata ſalo varios ſecat aequore curſus
Navis, & arbitrio venti baccatur & undae ;
Nunc ſurgente freto preſſa ſalit ardua puppi,
Nunc ruit in proram, fundoque illiſa carina
Dat gemitum, reſonant borea inſultante rudentes ;
Sic incerta viri ſecum luctatur, & oeſtro
Mens agitata gravi curarum fluctuat aeſtu:
Dumque ita concutitur nigris nox humida bigis
Induxit ſomnos, & inertia preſſerat altus
Membra ſopor, celeri quum nuncius aethere lapſu
Venit, & has mira ſimulavit imagine voces:
Sancte ſenex, quae tanta tuam veſania mentem
Impulit, ut tantum credas in Virgine crimen?
Pone leves animos, claudique ſub illius alvo
Diſce Deum; ſicut virides produxit Aronis
Virga carens humore comas, floremque coruſcum,
Sic ignara viri divinum regia Virgo
Semen, & aetherios accepit viſcere partus:
Coeleſte eſt, quod cernis opus; tuque ipſe miniſter,
Et cuſtos utrique datus nato atque parenti:
Sic maternus honor, ſanctaeque illeſa manebit
Fama pudicitiae, neu quis temerarius auſit
In caput illius quicquam crudele minari:
Adde quod a ſtygiis neſciri manibus iſtos
Vult Deus ingreſſus; occulto tartara marte
Venit, & ardentem debellaturus avernum:
His igitur curis liber, ne deſpice ſanctum
Virginis os & dulce decus, moreſque venuſtos;
Incipe mentis inops placidi cognoſcere coeli
Munus & hoſpitio magni laetare Tonantis:
Hinc decus aeternum referes, hoc munere nomen
Immortale paras, partemque acquiris Olympi:
Crede, fides eſt grata Deo; quia credidit ultro

Se-

Seminis eſt noſtri princeps Abrahamus, & auctor;
Nil magis avertit coelum a telluris amore,
Quam ſcelus ingratae mentis, quae corde maligno
Muneris auctorem nullo dignatur honore:
Propterea Solymis fatum grave finibus inſtat;
Nam neque numinibus pro donis vota futuris
Vlla dabunt, ſed dira leves incuria turbas,
Et ſtupor obtuſae mentis, commenta doloſque
Texere compellet, fraudemque novare nefandam;
Tu coelum, ſuperoſque petes; multo ante beatam
Virgineos inter coetus tibi vidimus aedem:
Infoelix quicumque dies producit in illud
Exitium, patriae tantas cui cernere clades
Fata dabunt! phrygiae celebrata incendia Troiae,
Atque numantini ſtrepitus, libycaeque ruinae,
Et pulchrae caſus Ephires, thebanaque bella,
Atque ſyracuſii planctus, & quicquid acerbi
Hactenus ardenti mauros exercuit ira
Excidiis collatum iſtis; tam ſaeva futura eſt
Tempeſtas; horrore caret & mite putatur:
Romanas acies Solymam Deus armat in arcem,
Ingentique parat genus hoc abolere tumultu:
Ille ego, qui vetuit quondam tibi Virginis huius
Concubitus, iſta e coelo nova nuncia porto.
His abiit dictis, & iam lux prima rubentes
Leucotheae thalamos luſtrans pallentia noctis
Nubila ſiccabat, veneriſque emerſerat aſtrum;
Aſtrum, quo gelidi veniunt in gramina rores,
Quodque revertentem praedicens lumine phoebum
Porrigit exiles umbras, quae gloria ſolum
Eſt conceſſa tribus; veneri, phoebo, atque ſorori.
Talibus admonitus diſcuſſo membra ſopore
Explicat, & largo ſenior convivia luxu
Accelerans cogit cives, & gaudia totis

Laeta

Laeta ciet turbis; ſplendet domus, atria multa
Fronde virent, agiles curſant per tecta miniſtri;
Dumque aulea trahunt, & verſicoloria tectis
Vela ligant pueri, ſimplex & garrula turba,
Apparereq; procul pendentia brachia tanquam
A torace cadant, varios ſine pectore vultus,
Et quaſi trunca virum mirantur corpora tolli;
Ecce puellaris chorus, & venerabile matrum
Agmen adeſt, vehiturque ſuni nova nupta marito:
Non tuba non citharae deerant, cava tibia cantus
Nunc phrygios nunc meonios, nunc dorica verſat
Carmina, iucundo reſonat vicinia plauſu;
Diſcumbunt, dapibuſque fames ubi pulſa, miniſtri
Reliquias & cruſta legunt, criſtallina tollunt,
Myrrhinaque albentes maculas ubi purpura cingit,
Vaſa corinthiacis crateribus aemula, menſas
Sublatis ſpoliant mantilibus; una decore
Praecipuo fuit, occiduus quam miſerat athlas
Littore de libyco citreae de ſemine ſylvae:
Hanc circundederant variis emblemata ſignis,
In quibus elato ſternebat vulnere Sanpſon
Allophylos, malamque manu vibrabat onagri;
Et latis raptos humeris cum cardine poſtes
In montis rapido curſu iuga ſumma ferebat,
Miſſaque per ſegetes oleaſque incendia late
Nubem eructabant fumi coeloque volabant;
Mellaque percuſſi ſtillantia ab ore leonis
Paſcebant heroa, liquor de dentibus ibat
Plurimus, & ſitibunda viri ſaliebat in ora;
Et ſeptemplicibus ſolvebat brachia vinclis,
Ore tonans, oculis ardens, vultuque tremendus;
Atque oculis captus dextra levaque columnas
Ruperat, & fractis ruerat domus ardua tectis:
Fulcra toreumatibus ſuberant tornata recurvis,

 Artis

Artis opus tyriae, prima haec ſpectacula diſcus
Obtulit: a ſalibus paulatim ad ſeria ſermo
Flectitur, & per facta patrum memoranda recurrit:
Sermo erat antiqui ſenis inſperata voluptas,
Et melior fortuna orbam cui lumine frontem
Retulit in lucem felix medicamen aquoſi,
Tempore quo primae ſurgebant moenia Romae,
Et Numa divinos ritus & ſacra docebat;
Vt duce comperto iuvenis veniſſet in orbem,
Cui nomen Medea dedit quum phaſidis agros,
Theſſalaque aeſonidae fugiſſet regna mariti;
Vtque vir octavus foelici ſorte puellam
Duxit, & a medo dives remeabat araxe;
Quaeque recedenti natae mandata parentes
Tradiderant inter lachrymas iterataque ſaepe
Oſcula narrabant; & facto fine quierunt.

PAR-

PARTHENICE MARIANA.

LIBER TERTIVS.

IAm mare iam tellus italo perterrita marte
Caesaris imperium, romanaque iura ferebat:
Pax erat, & domitum late placaverat orbem
Tuta quies; nusquam litui, non arma sonabant,
Et sua bifrontem claudebant limina Ianum;
Nudus in herbisecam redigebat martia falcem
Arma faber, segnes fodiebant ensibus agros;
Iam Marius cimbros rhenique subegerat arva
Iulius audaces araris, rhodanique colonos;
Aemathium Paulus regem, graecosque loquaces
Duxerat insigni capitolia ad alta triumpho;
Hesperiam, mauros, numidas, libyamque potentem
Scipiade magnus nilum, syriamque, arabesque,
Hyrcanosque sinus, & pontica regna fretumque,
Quod phryges, & cylicum disjungit ab hellade campos
Vicerat; Evandri callem metuebat Olympus,
Et tyberim magno pater Ennogisaeus honore
Suscipiens inter nynphas, & numina ponti
Ducebat sceptrum, celebrique in sede locabat;
Laeta ceres agris cultum referebat, & altum
Fumabant presso robusti vomere tauri.
Augustus rerum dominus regna, oppida, & ipsos
Indigenas redigi in scriptis mandarat, & ibant

Caesareis omnes censum nomenque daturi
Praesidibus: veterem patriam Davidis Ioseph
Cum consorte gravi bethlemica regna petebat;
Iamque suburbanas aedes intrarat, & urbem
Turba frequens complebat, erant plena omnia multo
Hospite, & ingenti strepitu, pleneque sonabant
Confuso clamore domus, promiscua vulgi
Congeries atra sub apertis nocte iacebant
Porticibus, nulloque tegi vagus advena tecto
Iam poterat; sicut populo quum maximus omni
Polluto ad veniam scelerum post quina sacerdos
Lustra vocat turbas romana in templa fideles:
Propterea exesi montis sub rupe cavata
Ligna senex ramosa ferens ex arbore caesa
Parvula congesto fixit praesepia foeno,
Et circum iumenta locans asinumque bovemque
Fraxinea stravit saxosa cubilia fronde;
Fomiteque apposito circum de marmore flammas
Excutit, & claris noctem fugat ignibus atram;
Binaque saxa viae lapidoso ex aggere vellens
Pronus humi duo scamna brevem convolvit in usum;
Admotaque uxore focis, stridentia postquam
Ligna diu lachrymas, nebulaque humente vapores
Ejecere, graves oculis, & libera pulsis
Vndique flamma micat fumis, spelaea ligato
Claudit, & hybernum prohibet velamine frigus:
Mox inopem e dorso coenam deportat aselli;
Cantarus, & passae cereris cum frugibus uvae
Carica, iuglandes, & cum cariotide mala,
Et siliquae dulces, & parvi caseus orbis;
Deliciae ruris, nocturnae haec pabula mensae:
Vt dapibus sedata fames, de tempore partus
Colloquium subiit; nonum iam currere mensem,
Natalisque instare dies ut constitit, orant

Ante

Ante gravescentem ne sarcina deferat alvum,
Quam patrium limen repetant, notosque penates:
Propterea tardae, quantum valuere senectae
Invalidae vires, Mariae curam exhibet omnem
Sollicita pietate senex; iam languidus ignis
In cineres ibat, levibusque albere favillis
Coeperat, & blando nutabant lumina somno:
Vestibus explicitis aegra cum coniuge fessus
Procumbit senior, tepidoque obductus amictu
Stertit; anhelanti stertit spelunca susurro:
Deciderant umbrae nemorum, sine crinibus omnis
Arbor erat, nidosque avium monstrabat inanes;
Stabat apex lydi gelida nive candidus hemi;
Taurus hyperboreos albenti vertice flatus
Accipiens hyemem assyrias spargebat in urbes;
Moenalum, & rhodopem, pholoen, erymanton, & ossam
Idaeas rupes, apoenninique cacumen
Exuerat frigus penetrans aquilonis acuti,
Siccaque brumales urebant arva pruinae,
Astrictique citos undis glacialibus amnes
Perdiderant cursus, & clausae vitrea nynphae
Tecta subintrabant, tepidis ubi mulciber antris
Conditus hybernat; sic sanguine tinctus enipheus
Ausonio, sic thrax pindo qui labitur hebrus,
Populiferque padus, lacedaemoniusque eurotas,
Et tanais gelida, celerem qui dividit undam,
Hyrgis aqua, scithicusque hypianis, xanctus, symoisque;
Vix arabes horti, calidae vix arva sienes,
Vix ager hesperidum, vix ipse virebat hymetus;
Halcyonis foetae variis nova pignora pennis
Iam tolli audebant, primosque efferre volatus,
Attulerat medio nox alta silentia cursu;
Astraque per tenebras tremulus ardentia flammis
Lustrabant dubio frigentem lumine terram:

Oc-

Occiderant ignes, & caligaverat antrum,
Quum ſubito matris clauſa puer editus alvo,
Expulit umbroſam coeleſti lumine noctem.
Advenere chori ſuperum, promptique, agileſque
Dulce miniſterium nato exhibuere Tonanti,
Et dulces cecinere modos: tulit ora repente
Territus hac novitate ſenex, & ſtrata cubili
Membra levans, pueri numen recubantis adorat:
Iam levis, & partu nullos experta dolores
Suſtulit infantem Virgo, panniſque volutum
In praeſepe tulit, iumentorumque ſub ora
Mitia, ubi tractis alternus anhelitus auris
Spirabat pueri tepidos in membra calores.
Fortunata ambo, atque omni praelata ferarum,
E pecudum numero; ſeu ſit quae lactea Cyro
Vbera porrexit, ſeu ſit quae lucet in aſtris
Hirta Iovis genitrix, ſeu ſit quae pavit iberum
Cerva ducem; caedant phrygii, qui ſancta leones
Plauſtra deum matris ſubeunt, Bacchique miniſtrae
Lynces, & rapidae truculenta animalia tigres,
Et lupa, quae geminos aluit mavortia fratres,
Quique trahunt Martis currus, Phoebique iugales:
Vos ſola e cunctis divini conſcia partus,
Infantique Deo primum exhibuiſtis honorem!
Diſcite primates orbis, qui ſceptra tenetis,
Tegmine qui bifido frontem, qui ſacra rubenti
Tempora velatis pileo, quibus ora ſuperbo
Inflat honor faſtu, miſeram non temnere ſortem:
Hic puer, obſcuri quum primum limina mundi
Attigit, elatae docuit deponere frontis
Alta ſupercilia, atque humilem veſtire figuram;
Prima haec in noſtros obiecta eſt machina mores
Informemque iſta reparavit imagine vitam:
Mitia ſic iumenta inter mitiſſima proles

Vir-

Virginis innocuae iacet; ad ſpectacula toto
Coelicolum converſa cohors miratur Olympo.
Ima caper coeli cancer ſuprema tenebat,
Et caput attollens ſaecli regina vetuſti
Erigone, iunctoſque videns deſcendere piſces,
Proſpexit teneros clementi lumine partus.
Sunt quoque qui ſummum traxiſſe per aethera caudam
Fronte ſub ardenti merſa phegethonte draconem
Commemorent, geneſimque velint feciſſe ſiniſtram;
Sed pia virgineae prolis clementia legit,
Ipſa ſibi genus id fati, non aſtra tulerunt;
Nam neque ſublimi dominum, qui regnat Olympo
Credimus a coelo in poenam violenter adactum.
Tum quoque montanis laetum paſtoribus agmen
Divorum apparens, regem clamavit Olympi
Quaerite, qui natus modico iacet abditus antro;
Ite citi, nec vos nox intempeſta retardet;
Candida formoſae iam pendet ad ubera matris,
Infantem fovet ipſa ſinu, nova gaudia mundus
Accipit, & rerum melior contexitur ordo;
Deſcendit promiſſa ſalus, pia Numina mundo
Servavere fidem, foelicia ſaecula currunt,
Et cum prole nova coelo nova labitur aetas;
Pax nova terrigenis oritur, nova gloria coelo.
Haec Divi: greſſus illi movere citatos,
Ingreſſique lares dulcem videre puellam
Paſcentem teneros lactenti pectore partus;
Nam iubar immenſum coelo deduxerat infans,
Illuſtrique die noctis diſiecerat umbram:
Mirati lucem inſolitam, ſummumque decorem
Virginis, oſque viri ſanctum, capitiſque verendi
Caniciem ſacram, pulchraeque ſimillima matri
Pignora virgineum labris mulgentia pectus,
Poplitibus flexis miti ſub imagine clauſum

Nu-

Numen adorarunt; mox ad sua septa reversi
Miserunt celebrem vicina per oppida famam.
Non erat oleniam fama haec nutrire capellam
Cretaea sub rupe Iovem, neque tecta canistris
Pascere cecropias vulcania furta sorores,
Sed faustos venisse dies, speratque multum
Tempora, quae vates, quae praedixere sybillae:
Tempore voce loco variis, adsentibus iisdem
Disparitas facit ista fidem; nam persica primum
Haec cecinit, post hanc lybicae telluris alumna,
Delphicaque, & cumas veniens a chalcide virgo,
Antiquumque trahens cognomen ab aequore rubro,
Et samia, & regi, quae terna volumina prisco
Attulit, angustaeque fretum, quam nominat helles,
Et phrygio nutrita solo, quaeque ardua tecta
Tyburii, & magnae coluit iuga proxima Romae:
Haec, quum divinos cultus, & sacra pararent
Augusto cum plaebe patres cita tyburis arcem
Liquit, & ingentes veniens ad Caesaris aulas
Fulgentem nitido monstravit in aethere circum
Irideque inclusam parva cum prole parentem;
Atque manum tendens, vultuque ad sydera verso
Ille puer Deus est, inquit, tu desine Caesar
Velle coli, pueroque aras, & templa relinque;
Ille regit coelos, atque immortalis Olympi
Possidet imperium, & fatalia temperat astra;
Ille facit pronam tauri incandescere frontem,
Et titanis equos ad aquatica brachia cancri
Flectit, & ardentem sub virgine temperat aestum;
Atque suas servare vices vaga sydera iussit,
Chironem torpore gelu, caprumque nivosis
Imbribus, & glacie strictos requiescere campos;
Messibus aestatem, hyemem nive, purpureum ver
Floribus, autumnum pomis, & frugibus implet;
Casma-

Chasmataque, & terrae motus, ventosque sonantes,
Imbriferasque facit nubes, fulmenque per ipsa
Nubila contorquens violentos excutit ignes:
Ille fretum levat, ille premit, vitaeque, necisque
Lora tenens, superis leges imponit, & orco;
Tu sceptrum mortale geris, te serica nondum
Regna, nec eoae noverunt littora terrae,
Nec scythiae glaciale fretum, neque conscia nili
Principio tellus, nec inhospita rura sienes;
Parva brevi te Roma sinu concludit, & audes
Te superis aequare? viamque ad sydera tentans
Tendis ad obscurae pallentia flumina laethes:
Pone precor Caesar fastus auguste superbos;
Teque licet tractes vastae telluris habenas,
Esse sub immenso positum reminiscere summi
Principis imperio, cui rerum aeterna potestas:
Haec ait, & patrios petiit sic fata penates.
Iam puero iuxta mores, legemque paternam
Nomen, & indigenae dederant insignia gentis,
Membraque pertulerant cultros recutita cruentos,
Quum novus eoo criniti syderis ardor
Movit ab orbe Magos; qui vel quia forsitan astrum
Ante diem partus multo videre, vel ipsa
Quod iumenta magis cursu venere citato,
Immensum paucis iter exegere diebus.
Herodis monitu, postquam monstrata Tonantis
Tecta subingressi, puero tria dona dedere,
Ad persas aliud per iter rediere colonos.
  Iamque quater decies croceos titonia coniunx
Extulerat vultus; postquam lucina beatos
Miserat in lucem coelestia femina partus:
Cepheus occiderat; iam sol lustrabat aquari
Vicinas aquilae partes, verisque redibat
Temperies, zephyros pulsis aquilonibus athlas

Solvere tentabat, coelique aperire decorem:
Regia poſt partum Virgo; quae limina numquam
Liquerat, & brevibus tectis abſcondita nondum
Venerat ad Solymas arces, altamque Sionem;
Pervigil ante diem petiit cum prole, Viroque,
Et cum pauperibus donis Salomonia templa.
Munus erat veteri gentis de more pudicae
Turturis, aut paphiae duo pignora parva columbae;
Iſta ſacerdoti Solymae paupercula matres
Munera pro natis deferre in templa ſolebant
Luce quaterdecima; minor haec tamen hoſtia; maior
Agnus erat; lex ipſa novi poſt tempora partus
Ante maritales thalamos intrare negabat
Tum meritis longoque ſenex venerabilis aevo,
Et claro Simeon vultu, niveaque decorus
Canicie, pluſquam gravitas annique ſinebant,
Sollicito greſſu celſam properabat in aedem;
Sanctus enim, qui munda ſolet per pectora labi
Spiritus, inceſſu celeri Simeona ferebat,
Vt voti fieret compos, matrique futuros
Eventus rerum caneret, ſaevoſque dolores,
Ne collata ſibi forſan myſteria volvens
Efflueret faſtu pectus muliebre ſuperbo:
Hunc Deus aſſiduis orantem fletibus olim
Audierat tandem, & noctis reſponſa per umbram
Tradiderat non ante ſui ventura ſepulchri
Funera, quod fracto Deus illuceſceret orbi,
Inciperentque novae nova ſaecula currere gentis,
Hic igitur dulcem materno a pectore natum
Accipiens laetis animis, & fronte ſerena
Dulce Deo carmen, meritaſque exſolvere grates
Coepit, & ex alto miſſam clamabat Olympo
Progeniem, & priſcae veniſſe piacula culpae;
Et ſic fatidicis ſolvit ſua vocibus ora.

Iam

Iam mea, Sancte Pater, fueras velut ante loquutus,
Vltima pacifico concludis tempora fine;
Namque salutarem partum tua maxima dona
Vidimus his oculis, his sustentavimus ulnis,
Immensam referas lucem, populique sub ora
Mittis, ut omnigenas coelesti lumine gentes
Clarificet, crescatque tuae nova gloria plaebi;
Tum matri conversus ait: tua pectora Virgo
Languor, & ingenti dolor implacabilis ictu
Stringet agens altum moesta in praecordia vulnus:
Tu genitum flebis plusquam flevere sorores
Heliades fratrem, plusquam vaga luxit Osirim
Vxor, & Andromache parvum Astyanacta, Ceresque
Progeniem a nigro raptam Plutone sub umbras.
Heu miseram Halcyonem videor, tristemque videre
Thesea per diros Ariadnam querere campos;
Tantalidem fletu, lachrymis Ciseida vinces!
Sed patere, & forti tolerans fer omnia mente;
Mercibus his emitur coelum, talique petuntur
Aetherii portus, & vitae littora vento:
Ipse tibi vires Deus impluet, ipse cadentem
Eriget, & tecum casus comes ibit in omnes,
Et tandem lachrymae in risus, in dulcia moeror
Gaudia transibit; toto veneraberis orbe
Terrarum, & summi Regina vocabere coeli:
Ipse salutari socios, ubi laverit olim
Amne puer, nostrumque ad se genus omne vocarit,
Terrigenae tibi sacra ferent; tibi candida servat
Saxa paros, tibi thura legunt adolenda sabaei;
Ipse tibi largos dudum Carmelus honores
Cogitat, & natos foelicibus educat antris,
Qui tibi perpetuam niveo testentur amictu
Mundiciem, montisque tuum cum nomine Nomen
Aeterna compage ligent: tu mundior auro

Tu nive candidior, veneris tu clarior astro!
Nec tua virginitas partu viciata, nec ullis
Iste tuus poterit maculis nigrescere candor;
Propterea nec adhuc fueras obnoxia morem
Legitimum, & iuste poteras his parcere donis:
Tempus erit, quo sera olim nostri memorabitur aetas;
Hac sacrum solemne die tibi ponet ad aras,
Numinaque ornatae longo feret ordine pompae:
Tunc tuus aurata gradiens in veste sacerdos
Carmina nostra canet, nubemque effundet odoram
Templa per, & gratum rapiet procul aura vaporem;
Et quoniam vestis mea sunt vestigia plantis
Obvia, posteritas hanc appellabit hypantem
Voce diem graia, crebrisque erit ignea taedis.
Haec senior Vates: eadem praesaga canebat
Assidue, & repetens turbas vulgabat in omnes
Anna, Deoque quae longa sui sacraverat aevi
Tempora; non illam noctes excedere templo
Non cogebat hyems, non ignea solibus aestas;
Cunctaque sub memori servabat pectore Virgo.
  Haec igitur famae novitas, coelique per altos
Incedens tractus, vultu nova flamma corusco,
Invidiae stimulis, odiique ardente veneno
Succendere animos regis, mentemque superbam:
Rex erat Herodes Solymis, de sanguine cretus
Gentis idumeae; sceptrum Iudaea propago
Perdiderat, saevumque ferens invita tyrannum
Amissos regni veteris plorabat honores:
Ipse igitur regis metuens haec signa futuri,
Protinus innocuo bethlemica rura cruore
Tinxit, & effusa ingenti per tecta, per agros
Caede domos lachrymis implevit, & aethera planctu,
Moerentes erebi campos insontibus umbris.
Sed, neque quod scelus infoelix tentavit adeptum est;

Nam

Nam vigilante levi dederat. Pater ista ministro,
Quae ferret mandata seni, cui tradita dudum
Cura novi partus fuerat, teneraeque parentis:
Subtrahe venturo puerum, matremque periclo,
Et pete niligenas; cladem, & saevissima iussa
Rex parat infanti; sparso iam rura natabunt
Sanguine, de matrum finibus sua pignora miles
Auferet, allidens teneras ad marmora frontes,
Atque in frustra secans parvos crudeliter artus
Sparget, & ingenti resonabunt omnia luctu.
Territus hoc monitu senior vicina petivit
Regna phari, & libycis contermina syrtibus arva,
Hermopolimque domum totam perduxit in urbem;
Mox Theben; quondam portis celeberrima centum
Moenia pensilibus tectis, templisque deorum
Claruit, imperium quum rex Busiris habebat;
Dehinc memphitis agros, feriunt ubi sydera celsae
Pyramides, opus aeterna memorabile fama:
Hic tandem hospitio patrii susceptus amici
Artifices versare manus, victumque labore
Rimari, & durae studuit succurrere sorti;
Vtque erat ingenio praestans, usuque peritus
Assiduo, & quoniam rebus solertia maior
Semper adest miseris, animumque exercet egestas;
Virtutis non pauca suae monumenta reliquit.
Ipse Miron laudasset opus, laudasset & ipse
Praxiteles, nec phidiaco cessisset honori:
Seu ferrum, seu mallet ebur, seu sculpere cedrum,
Promptus erat; tabulis omnes inscripsit ahenis
Arsacidas, parthosque duces, & gentis achivae
Cecropidas, & qui regni tenuere latini
Littora murranos; post quos troiana propago;
Sylvius albana stabat cum prole, sedensque
Augustus cum patre alto sublimis in auro.

Et

Et ptolemaeorum feriem, nilumque per agros
Aethiopum curvis volventem flumina ripis
Finxit; & excelfam nocturna lampade turrim
Aequore lucentem phario, fparfafque regentem
Tempeftate rates, & feffos turbine nautas:
Hoc fabri fenioris opus, nec vile recepit
Hoc opere ex tanto precium, parvamve peculi
Congeriem; his ftudiis vitam, exiliumque trahebat
Laetius, & magno victum quaerebat alumno.
Tum Romae parebat ager memphiticus, olim
Divitis Aegypti fceptrum ptolemaea propago
Gefferat; at regni princeps, ac feminis auctor
Vnus Alexandri comitum fuit; ipfe potentem
Perdomuit Libiam, circumque iacentia regna
Cyrenes, arabumque procul laeta arva fubegit:
Mox tantas Philadelphus opes, patre digna propago,
Sufcepit, fophiae fpecimen, clarufque Minervae
Cultor, & imperium tenuit cum fratre Cerauno:
Stirps extrema domus tantae Dionyfius aevo,
Et virtute minor, nec nomine dignus avorum,
Omne fuae gentis decus obfcuravit, & uno
In fcelere extincta eft longaevae gloria laudis:
Hic fuit extinctor magni, qui Caefaris arma
Fortunaeque graves fluctus pro civibus, & pro
Libertate tulit patria; cui numina; fi non
Et coelos fortuna regit; poft fata dediffe
Atria crediderim ftygiis minus afpera campis.
Tunc erat hermopoli foliis, pomoque falubri
Vtilis aegrotis arbor; quae Virgine vifa
Pignore cum parvo fummum flexiffe cacumen
Fertur, & occulti numen fenfiffe Tonantis:
Haec erat a medis arbor translata colonis
Perpetuo frondens, & medica mala ferebat.
Parthenices primo ingreffu, fimulachra per omnem
Le-

Legimus Aegyptum subita cecidisse ruina,
Et collisa solo; iacuit resupinus Anubis;
Cornibus auratis solio ruit Isis ab alto;
Occidit extemplo luctu quaesitus Osiris:
Sicut cum trepidi per coeca silentia fures
Noctis eunt taciti; vigilant ad furta, repente
Si densas abigat lux improvisa tenebras,
Diffugiunt, lucemque timent, ceduntque diei:
Attoniti vates illis responsa diebus
Nulla dabant, stabatque oculos immotus aruspex;
Sparsa sacerdotes timido legere deorum
Frusta ministerio; coepit tunc perdere vires
Coeca superstitio, verique exurgere Patris
Cultus, & occulto superum latria favore.
Quo studio natum, qua sollicitudine mater
Sancta quibus curis, & qua curaverit arte
Non si mille mihi boreas inflaverit ora,
Milleque veloces surgant in carmina linguae,
Expressisse satis liceat; tollebat in ulnas,
Et figens oculis oculos praecordia flammis
Dulcibus urebat, teneros amplexibus artus
Stringebat lachrymans, roseae dabat oscula fronti,
Vbereque exserto dulcem invitabat ad escam
Expertem sermonis adhuc, nec verba valentem
Solvere progeniem; summoque ardebat amore.
Quum primum dulces infans proferre loquelas
Coepit, & alternis vestigia figere plantis,
Mater ei tunicas habiles ordita novumque
Vestis opus, niveo puerum velavit amictu;
Suspiciensque polos, inquit, date Numina vesti
Incrementa meae; pueri cum corpore semper
Crescat, & ad sanctos ultro se accommodet artus:
Non gladium, tineamve ferat, non trita senectae
Cedat, & haec nostri durent monumenta laboris.

Sic

Sic ait, & tenui gaudentem cyclade natum
Spectabat defixa oculos, dextraque regebat
Ambiguos gressus; in pignore provida semper
Sollicitae mens matris erat; pia volvere verba,
Et superum laudare Patrem studiosa monebat;
Atque manu victum quaerens, sub paupere tecto
Assiduum tractabat opus; non mobilis illi
Frons erat, aut subito pectus mutabile motu;
Grata, sed illius mentem, vultumque decoro
Pondere firmabat gravitas; non moesta, nec atrum
Torva supercilium, nec aperto effusa cachinno,
Sed clara & miti facies condita lepore;
Non ridens, non tristis erat, sed mixtus utroque
Vultus, humique oculos semper conversa nitentes
Offuscare decus, vivamque abscondere formam
Cura fuit; semper vulgus, manifestaque semper
Compita, congressus hominum vitavit & ora:
Gaudia natus erat, natus solatia, natus
Curarum lenimen erat, matri ista voluptas
Sola fuit; terram membris habitabat, Olympum
Mente: nec a studiis potuisset talibus unquam
Divelli; pietas imis immersa medullis
Haeserat, & firmas virtus incocta sub alto
Pectore radices pulsa undique sorde per omnes
Spargebat late synceri corporis artus:
His superaddiderat divinae semina lucis,
Coelestique Pater totam lustraverat igne:
Non illam terrenus amor, non ulla caduci
Cura boni, non spes vitae, non tristis imago
Horriferae mortis, nec honor, nec fama movebat.
Hic fuit a prima servatus origine semper
Vivendi modus ad gelidi nigra usque sepulchri
Limina: sicut enim assiduis quae vapulat undis
Dura silex immota manet, nec murmura ponti

Nec

Nec metuit ventos tempeſtateſque ſonoras,
Quoque magis premitur, tanto fit levior aeſtu;
Sic inconcuſſum firmato robore pectus
Fortunae quaſcumque minas, quoſcumque labores,
Aerumnaſque tulit; patiens terit omnia virtus.
Aegyptus pluviam neſcit, ſed lata quotannis,
Quum premit aequorei ſol humida brachia cancri,
Arva rigat nilus: verum his foecundior annis
Exiit, & campos melioribus imbuit undis,
Largius & ſegetes illis, & poma diebus
Protulit omnis ager; praeſentia Numina tellus
Senſit, illius radiis foelicibus aether
Intima maiori complevit viſcera partu.
Iam ferus Herodes fato ſublatus, ad undam
Raptus erat ſtygiam aeterna cruciandus erinne,
Et poſt prima fugae iam ſeptima venerat aeſtas
Tempora, iamque pedes puer exercebat, & ora
Rectis, & formae dulci florebat honore,
Quum Divis iterum Galilaea monentibus arva
Ocyus Aegypti laribus petiere relictis:
Nec Bethleem tetigere domos, nec rura Sionis;
Archelaus nam tunc ſolyma regnabat in ora
Natorum primi Herodis ſaeviſſimus: illo
Poſt luſtrum expulſo, dulci cum pignore mater,
Longaevuſque ſenex ad primi maxima veris,
Orgia quum typico faciunt ſolemniter agno,
Convenere: puer ſubitae ſeſe abdidit umbra
Nubis; ab aſpectu matris ſublatus, in alta
Templa ſacerdotes inter, legiſque magiſtros
Mirantem vario tenuit problemate turbam:
Tres illum gemebunda dies, tres anxia noctes
Agnatos notoſque inter, per rura, per urbem
Cum tremulo conſorte parens quaeſivit, & auras
Queſtibus implevit, lachrymiſque tepentibus ora;

Saepius haec iterans: magni, mi nate, Tonantis
Progenies, si terram habitas, te ostende parenti:
An potes ardorem hunc afflictae spernere mentis?
Si coelos, aeterna Patris si regna petisti,
Me quoque depositis in sydera collige membris,
Vel vivam me tolle precor; quo veneris, aequum est
Me quoque nate sequi; tuus est ex sanguine sanguis,
Ex membris tua membra meis, ex corpore corpus:
Quod totiens alimenta dedit tibi lactea pectus
Ferre potes tantis curarum molibus angi?
Tertia lux aderat, quum se quaerentibus ultro
Obtulit, & media sese monstravit in aede:
Tunc illum formosa parens amplexa; quid, inquit,
Nate, tot in lachrymas tanta in suspiria mittis
Me miseram, tristemque Virum? tum lumina tollens
In matrem genitus dulces se misit in ulnas.
Et post ter senas hyemes, quum sydera capri
Linqueret hydrophoro iuveni vicinus Apollo
Coeligenam sobolem placido sermone precata est,
Tethios ut latices dulci mutaret hiaccho,
Albaque purpureos assumeret unda colores,
Ornaretque novo convivia sancta liquore:
Tum primum veteri Deus innotescere mundo
Coepit, & antiqui nebulas excludere saecli.
Propterea stygio fervens Iudaea furore
Terribiles illi poenas, commentaque fraudis
Struxit inauditae; sub iniquo iudice tandem
Damnatum fixere cruci, quem pallida mater
Contemplata diu stetit, & suspiria ducens
Quum vellet clamare, sonus non affuit ori;
Ploranti lachrymae deerant, quum tangere corpus
Tentat, & ad tristes extendere brachia plantas,
Phydiacae similis statuae sine sensibus haesit;
Corda sopor gelidus clausit, cava lumina nubes

Te-

Texit, & amiſſo ceciderunt robore membra:
Aſt ubi collapſam famulae, comiteſque levarunt,
Atque fatigatos ſenſim vigor imbuit artus,
Converſo ad natum tales dedit ore querelas.
Oh decus, oh placidum divinae frontis honorem,
Oh faciem, oh mitis clementia lumina vultus,
Oh ſine fraude manus, oh neſcia criminis ora!
Ora meo totiens gremio inclinata, meaque
Contrectata manu totiens, primiſque ſub annis
Hoc miſero nutrita ſinu, geſtata lacertis,
Membra meis totiens, ſummoque ex aethere miris
Lapſa modis, quae me facitis ſine coniuge matrem
Non ego vos, & ſi Simeon crudelia fata
Praecinuit, tanto credebam nata dolori,
Nec paritura mihi tantum moeroris! & auſus
Eſt quiſquam ſcelus hoc ingens? non horruit ergo
Mens humana nefas tantum? quid criminis in te,
Nate, quid & tantae potuit quis fingere culpae?
Tanta ne laetheos manes audacia movit?
Tantas ne terrigenas homines dementia preſſit?
Hoc livoris opus; tantas amor improbus auri
Parturit inſidias? haec ſunt, dulciſſima proles,
Quae te, meque necant, ſceleri ſcelus arma miniſtrat,
Iuſtitiaeque ratis duplici perit obruta vento:
Flete viri, ſanctaeque nurus; nulla audiit aetas
Par facinus; perit humana ſub imagine mundi
Conditor, ipſe cavum coeli qui ſuſtinet axem!
Terra quid auctorum ſceleris veſtigia portas?
Auctorem cognoſce tuum; date ſigna doloris
Sydera, damnatus iuvenis ſub iudice falſo,
Adiutore carens, inter furibunda relictus
Agmina; ſolus, inops, plantas, caput, ora, manuſque
Saucius, & duro traiectus pectora ferro:
Vnica deſertae ſoboles, ſpes unica matri

Il · moritur! virtuti honor hic, haec premia dantur
Moribus innocuis? prohibe tua lumina titan,
Abde caput nebulis, aer precor indue noctem;
Omnia quae coeli gremio capiuntur, & ipsi,
Si Deus hic vobis, Mariam miserescite coeli,
Et plorate mei mecum crudelia nati
Funera, lugubrem domini cognoscite casum.
Veh populo patribusque tuis sanctissima quondam,
Nunc scelerum sentina Sion! tua crimina quantis
Te implicuere malis, unum quot funera funus
Parturiet, lux una omnes pessundedit annos!
Nate Dei, qui fers humana piacula solus,
Me affligi simul, atque tuos sentire dolores
Cogit amor, natura iubet; mihi ferrea plantas
Spicula, mortiferae penetrant mea pectora sentes
Cordaque dilaniant, miseros vix sustinet artus
Spiritus; atque utinam tecum mihi, nate, liceret
Afflictos finire dies, & cedere vita!
Omnia te nobis melius praesente ferebam:
Sed postquam te livor edax, & avara cupido
Oppressere, nihil superest nisi triste, & amarum:
Nulla meis sine te solatia, nulla voluptas
Rebus erit; tecum pereunt mea gaudia, tecum
Omne meum solamen obit, suspiria tantum,
Singultusque mihi sine te, & lamenta supersunt.
Ah quam dulce foret matri, si viribus usus,
Nate, tuis propriae fugeres dispendia vitae!
At postquam pietas, & inenarrabilis ardor
Tanta pati, tantoque premi te pondere cogunt,
Esto mei saltem memor, & miserere tuorum,
Quos moriens inter tam saevos deseris hostes;
Postque tuos matrem reditus, mi nate, revise,
Et ne adeo magni teneat te cura parentis
Vt tibi desertae subeant oblivia matris;

Adven-

Adventus ſperare tuos concede parenti,
Atque tuos iterum vultus, atque ora tueri:
Haec mihi ſpes lenimen erit, curaſque levabit
Iſta fides; oro ne poſt tua funera linquas
Suſpenſam me, nate, diu, ſed te ocyus ipſum
Redde tuis; hoc materno da munus amori:
Spes eſt longa dolor; promiſſaque munera amanti
Expectare diu labor eſt, & pondus iniquum:
Hactenus & ſi me caſus timor iſte futuri
Ambiguam premeret, tua quod tamen ora licebat
Cernere, me vitae nunquam taedebat, & omnem
Tollebat tua ſola ſalus mihi cognita curam:
Vita mihi ſemper poſthac inviſa futura eſt;
Nulla dies lachrymis unquam gemituque carebit,
Et vivam moriens, erit & vita ipſa ſepulchrum:
Sola domo incerta lucem pertaeſa latebo;
Propterea prohibe iſtius me, nate, teneri
Exilio vitae, finemque impone dolori,
Atque dies praecide meos; neu deſere matrem
Hoſtiles inter turbas, plaebemque cruentam:
Ad noſtros ubi victor avos ſub nocte latentes
Veneris, oro meum iubeas ſalvere nepotem;
Illum ad me duc, nate, precor, tecumque reſurgat;
Interea ipſa tuos comites ſolabor, & iſtos
Ne nimium caſus timeant ſtudioſa rogabo:
Talibus aegra parens ad natum vocibus uſa eſt.
Haec lamenta ſolum movere, tremoribus alpes
Expreſſere metum, colliſaque ſaxa per auras
Terrifico ſtrepuere ſono, titania lampas
Occidit extemplo, medioque expalluit axe;
Aſtra ſimul ſolemque dies amiſit; Olympum,
Aequora, tellurem ſubita nox abſtulit umbra:
Ipſa repentinos rerum natura tumultus
Admirata caput circumvertebat, & orbem

Perluſtrans, tantorum operum diſcernere cauſas
Non valuit, ſacroſque levans in ſydera vultus;
Numina mutato, dixit, mea regna laceſſunt
Ordine; grande aliquid tantis elementa fatentur
Motibus: aut ſuperos iterum diſcordia vexat,
Aut opus immenſum coelo Deus evocat; ingens
Inſolitumque aliquid certe haec portenta loquuntur;
Signa dedit tellus, ut bene vertat, & aſtra:
Haec ait; attonitae coeca calligine gentes
Merſa ſub aeternam timuerunt ſaecula noctem.
Fletibus his aderat iuvenis, qui ſponte relicta
Coniuge dilecto voluit comes ire magiſtro:
Hunc igitur, quum iam traheret ſuſpiria Chriſtus
Vltima, & urgeret ſupremus anhelitus ora,
Singultire videns flevit, paulumque levatis
Luminibus; comitum dixit chariſſime ſalve,
Quem neque blanditiis potuit mollire voluptas,
Non terrere minae, non inclinare labores:
Nunc habeo grates, referamque fideliter olim,
Quod mea praetuleris viridi conſortia vitae
Solus, & in caſu comes es mihi ſolus acerbo:
Morte premor, dare poſtremis mandata loquelis
Pauca ſinor: fuit haec, licuit dum vivere, nobis;
Sed poſthac tibi Mater erit, tibi namque relinquo
Et curam, & nomen nati; ſervabis amorem
In matrem ſobrine meum; poſſeſſor & haeres
Ipſe meae pietatis eris: per ſaucia teſtor
Brachia, per plantas, capitiſque aſperrima ſerta
Huic miſerae fer opem viduae: mox fronte parumper
In Mariam verſa; tua ſint haec pignora dixit,
Hic mulier tibi natus erit, ſolabitur aegram,
Atque operam rebus dabit officioſus agendis:
Vive, nec adverſos inter te deſere caſus,
Nec fugias mala, nec quaeras; venientia ferto.

Sic

Sic fatus posuit faciem; de fronte loquentis
Pallida confusus lachrymis cruor ibat in ora:
Talibus admonuit matrem sine nomine matris,
Ne materna pium laniaret viscera nomen.
Suscepit iuvenis grate matremque, amitamque,
Et satis officio fecit nati, atque nepotis;
Donec perfidiae crescens audacia passim
Castra Dei genus electum peregrina coegit
Littora, & ignoti nova regna invisere mundi:
Tunc omnes patriam, & solymos liquere penates
Morte, vel exilio pulsi: robusta diserti
Tum Stephani pietas inter volitantia saxa
Enituit; templi praeceps Iacobus ab alto
Culmine deiectus fractis ad marmora membris
Testis, & exemplum fidei immortale reluxit.
Post longos tandem gemitus, post funera natum
Prima resurgentem vidit; nam conscius ipse
Materni moeroris, avos ubi traxit ab orco,
Mane sub auroram ingenti cum luce, parentis
Tecta subingrediens; quid tot singultibus inquit
Chara parens, quid te fletu consumis acerbo?
En tua progenies adsum, mecumque nepotis
Vmbra tui; cognosce manus, veteremque figuram
Oris, & ista tuis mea membra simillima membris:
Cur tantos nostro sparsisti in funere plantus?
Ipse tuas gravius voces animique dolorem,
Quam tormenta tuli; sed iam aspera cuncta peregi,
Nil superest mortale in me, nil triste relictum;
Vicimus infernos, gentemque subegimus atram:
Pone metus, curasque parens, hilarique beatum
Fronte diem celebra; parvo post tempore mecum
Immortalis eris, sceptrumque tenebis Olympi:
Sic fatus subito tenues discessit in auras.
Hoc visu rediere animi, viresque resumpsit

Par-

Parthenice amissas; per eburnea membra cucurrit
Purpureus color, & formae revocavit honorem:
Sicut quum rapido nova gramina perculit aestu
Phoebus, & egregium calor abstulit oris honorem;
Si novus humenti labatur ab aere nimbus,
Et scatebris riget omne solum, vetus intrat in herbas
Robur, & agrorum redit instaurata venustas;
Narcissi caput extollunt, peneia ridet
Laurus, & exultant hilares per rura napeae.
Ipsa aderat, quum nube Deus circumdatus alba
Ivit in aetheriam sociis mirantibus arcem,
Et quum flammiferae venit sub imagine linguae
Spiritus, ingenti resonans per tecta fragore.
Tum nova paciferae fidei mandata ferentes
Discipuli solymis orbem invasere relictis:
Tempore namque illo vires, atque arma quiritum
Humanum vicere genus; sed inermia Christi
Castra deos veteres, ausus imitata gigantum.
In vidua deserta domo rerum indiga Virgo,
Coniuge defuncto, natoque in regna recepto,
Ducebat tristi vitam moerore iacentem:
Iam charas olim comites Martham, atque sororem
Eurus ad occiduum tulerat sine remige littus;
Propterea amissi quaerens solatia nati,
Palladiae collem, dederant cui nomina sylvae,
Et loca, quae curare magis quondam ille solebat,
Assidue tamquam prolem visura petebat:
Impatiens amor est, maioraque viribus audet,
Seque reperturum credit quae ardentius optat.
Inter caesareas arces, tyriosque colonos,
Et vada Iordanis frontem Carmelus in auras
Tollit, & assiduos latices in vertice summo
Parturiens sylvas salientibus irrigat undis,
Atque supercilio sensim demissus ab alto

Vlti-

Vltima carpathium veſtigia mittit in aequor,
Abluiturque fretis Paphiae, quibus inſula dives
Cingitur, & pharios videt alto a culmine fluctus:
Mons Patrum pietate ſacer, lateque priorum
Inclytus hoſpitio Vatum; nam dicitur illinc
Diſcipulo ambuſtam iaciens ex aere veſtem
Helias ardenti coelum petiiſſe volatu:
Illinc perpetuis, ceu miſſi e fontibus amnes,
Relligio, & ſacri fluxit reverentia cultus:
Quicquid habent alii montes pietatis, ab iſto
Ducitur; hac una plures e vite racemi
Diffuſi late terras, atque aequora complent:
Hinc Carthuſiacis aeterna ſilentia clauſtris,
Hinc varias Benedictus oves collegit; ab iſto
Cannabe nodoſa tunicas arcere fluentes
Lignipedes didicere viri; quique arva colebant
Invia, & aſſiduo terras ardore calentes,
Et quos Cyriacus de littore vexit Ibero
Hinc orti; ſanctum & ſummo genus aethere dignum.
Hinc noſtri venere Patres: habitacula montis
Culmen adhuc ſervat toto apparentia ponto;
Quae noſtri poſuere atavi modo poſſidet hoſtis
Barbarus: expulſae ſolem petiere cadentem
Arctoaſque domos, & gentis regna latinae,
Reliquiae antiqui generis, Vatumque propago;
Quae ferrugineos humeris circumdat amictus
Veſte ſub albenti; nec ſumit ab arte colorem.
Huc igitur; ſi quando quies, vacuumque negoci
Tempus erat; veniens curas lenibat, & ipſa
Maieſtate loci large oblectata redibat:
Propterea montana viri ſpelea colentes,
Audito illius fato, ſublime ſacellum
Apricis poſuere iugis primi, atque quotannis
Sacra inſtaurantes hymnos, & thura ferebant;

Namque ipsi sese; mox ut vulgata salutis
Fama fuit; Christi magnis iunxere ministris
Fautores operis sancti, sociosque laborum:
Propterea istorum longos servata per annos
Posteritas iungit Mariae cum nomine montis
Nomina Carmeli, niveoque insignis amictu
Perpetuum servat priscae pietatis honorem:
Hos quoque virginei penes est reverentia cultus
Precipua servata fides; velut Herculis olim
Sacra poticigenae custodivere nepotes:
Hoc Deus, hoc magnae Petri qui praesidet aulae
Pastor, & aeternis orbem moderatur habenis
Saepius accitis patribus sacroque senatu
Sanxit, & aera notis signata bifrontibus extant:
Pastor in Antiochi celebres Ignatius agros
Venerat, & sacros Petri sortitus honores
Sancta per assyrios pascebat ovilia campos;
Iste super mira nascentis origine Christi,
Et teneris studiis aevi, vitaeque prioris
Moribus ad matrem dedit, accepitque tabellas:
His adeo incaluit patriae coelestis amore,
Obvius ut fatis ultro progressus in ipsos
Se tulerit Traiani enses, & in ora leonum;
Quin & defuncti scrutatus corda satelles,
Aur tis inscripta notis invenit Iesu
Nomina; sic gravibus dictis, suasuque potenti
Intima discipuli penetrarat pectora Virgo;
Ac si quis partho missurus spicula cornu
Cuspidis aeratae trahat, impellatque sagittam.
Iamque propinquabant cani, rugaeque venustam
Crispabant faciem, formaeque inimica senectus
Venerat; ad pulchros aetas ne frangeret artus,
Lumina ne longo iam caligantia fletu
Induerent tenebras, fierentque obnoxia nocti;

Di-

Dicitur aeternum matris pro funere natus
Talibus alloquiis interpellasse Parentem.
Magne Pater, qui me, terrae ne regna perirent,
Corpus & humanos iussisti assumere vultus,
Aspicis annoso Genitrix ut frigeat aevo,
Deformisque situ senii tabescat, & annis
Curvetur gravibus! spacium vitale peregit;
Iam satis aerumnas, inopisque incommoda vitae
Pertulit; assiduo satis est attrita labore;
Matris, & eximiae ratio virtutis habenda est:
Da sceptrum coeleste meae, promissaque matri
Regna Pater, longaeque diem succedere nocti
Iam videat, mutetque suos in gaudia luctus:
Et quia nec vitae labem, nec originis ullam
Novit, & antiquum retinet sincera pudorem,
Maiestate tua dignum non arbitror istud
Tam sanctum tellure pati putrescere corpus.
Sic ait: at placido postquam Pater annuit ore,
In diversa leves praemisit regna ministros,
Qui comites olim vitae mortalis in unum
Colligerent, matrisque illos ad limina ferrent
Obsequium dominae, tumuloque extrema daturos
Officia, & celebri ducturos funera ritu.
Ipse ferens textam phoebi de lumine vestem,
Claraque bissenis matri diademata flammis
Nazareth, ex alto petiit non solus Olympo;
Nam regem comitata suum coelestia passim
Agmina solemnes fecere per aera pompas,
Et festam duxere diem, veterisque novaeque
Legis, & ex omni volitabant ordine turmae.
Ante alios David, & murice clarus & auro,
Argutam plectro cytharam pulsabat eburno,
Et veteres ducebat avos, cupidusque videndi
Virgineos obitus celeri per inania lapsu

Ibat, & aetherio mulcebat nubila cantu;
Ceu quum fata gemens cygnus vicina canoro
Gutture, & extrema canit ad ſua funera voce:
Pone ſequebantur vates; coma fuſa per auras
Nabat, & in tenui ventus ludebat amictu.
Parthenice anguſto recubabat feſſa cubili,
Et lachrymans requiem orabat, finemque laborum:
Progenies igitur divorum adſtante corona
Sedit, & aegrotam ſic eſt affata parentem.
Alma Parens mecum diuturna pericula quondam,
Et ſine me perpeſſa tribus mala plurima luſtris,
Credideras forſan citius me noſtra daturum
Regna tibi, quia mater eras: humana volebat
Hoc pietas, & amor preceps: lex altera coelo eſt;
Nos etenim lento poenas & praemia ſemper
Cogimus ire gradu, meritis ut praemia creſcant,
Et vitare gravem nedum ſolertia poſſit
Verum & ſegnities poenam; clementia ſummi
Tanta Patris tali humanum genus arte gubernat:
Haec mora longa fuit pietas, & gratia maior;
Semper enim tibi crevit honor, tua gloria ſemper
Aucta magis iam prima ſibi loca vendicat inter
Spirituum ſanctos coetus in vertice mundi:
Nam quo quiſque magis fortem patienter acerbam
Pertulerit vivens, tanto ſublimius ibit
Orbe alio, Patrique magis vicina tenebit
Tecta meo: foelix igitur, cui victa voluptas
Terga dedit, longi quem non fregere labores!
Humanae ſpatium vitae componere fas eſt
Hippodromo, celeres per quem rota fervida currus
Volvit, & aſſiduo concretus pulvere ſudor
Membra virum tepido reddit deformia limo:
Ambigui rerum eventus, ſuſpiria longo
Cum gemitu, lachrymis turgentia lumina, pallor
Plum-

Plumbeus, exangui triſtes formidine vultus,
Cura vigil, labor oſſa domans, dolor anxius omnem
Sollicitant hominum vitam, terraque marique
Obiiciunt ſeſe paſſim; prudentia frenis
Talibus humanos auſus divina coercet,
Tranquillamque negat pacem mortalibus aegris:
Enervare ſolent ſecuras ocia mentes,
Et vitiis umbrare animas; ut pulvis aquoſo
Imbre coit, levibuſque rapi iam neſcit ab euris;
Sic adverſa premit ſenſus fortuna rebelles,
Et cogit parere Deo, morboſque labentes
Pellit, & ardentes in pectore mitigat aeſtus:
Vt ſale conſperſo longos ſervantur in uſus
Viſcera, nec laedi ſanie nec tempore poſſunt;
Sic duris animi rebus firmantur, & omnem
Abiiciunt peſtis cauſam; ſors aſpera tutum
Praebet iter; via ſydereas haec ducit in arces;
Hac rate ferventes pelagi ſuperenatat undas
Qui petit aeterni portus & littora regni:
Vidiſti qui me caſus volvere meoſque?
Communi exilio pulſi, variiſque per orbem
Suppliciis acti ſorte exercentur iniqua;
Et nunc extremis gallorum finibus exul
Martha ſororque latent, quas implacata malignis
Gens odiis vento expoſuit pelagoque minaci,
Ipſe dedi faciles curſus euroque ſecundo
Per Rhodon, & Cretae fines, & Neriton altam,
Scylleumque fretum, tyrrhena per aequora vectas
Littore longinquo expoſui, qua gallicus altum
Illabens Rhodanus crineas dividit undas:
Hactenus haec; iam tempus adeſt, ut inertia vitae
Pondera deiiciens coelum, ſupremaque mundi
Regna petas, & promiſſo potiaris Olympo.
Haec genitus: laeto genitrix haec reddidit ore.

Nate

Nate diu expectate mihi multisque vocate
Suppliciis, tandem exilio finem, atque labori
Pone meo; cur tantum oro mea gaudia differs?
Sed tamen, ante tuos isto quod e corpore migrem,
Da videam fratres, stygiosque hinc eiice manes,
Ne mihi tartarei vultus, tristesve figurae
Horrorem incutiant mortis gelidumque timorem.
Nec dum finierat, quum iam duodena per auras
Laeta cohors aderat; cilicum revocatus ab oris
Hic erat, a graecis alius, trans pelion atque
Tethios euboicae fluctus minoiaque arva,
Et mare carpathium, sitientibus alter ab indis,
Alter ab aethiopum siccis translatus arenis,
Transque domos arabum, rubri trans littora ponti,
Ille per Europae populos a gente latina
Transierat veniens siculos, pelopisque penates,
Phoebeamque Rhodum, sparsasque per aequora terras.
Mox animos erebi quot erant per tecta per auras
In coecum Deus ire chaos mandavit, & altis
Immergi tenebris, atque intra tartara claudi;
Tum niveam mentem domibus dissolvit opacis,
Et super iniecit tulerat quae dona parenti;
Ad gelidum tepido iacuit sine sanguine corpus;
Splenduit aetherio mens immortalis amictu,
Cui superum mirata cohors arridet, & altis
Gaudia scintillant animis, dominamque salutant:
Insonuere poli, longeque auditus ab alto
Concentus, mixtumque melos; pars ocyus acta
Clarius, & cantu late resonabat acuto;
Tarda ibat graviore sono; qui sydera volvunt
Nunc gelidum versus boream pigrumque bootem,
Nunc austros contra coelique latentis ad axem
Cursibus assiduis orbes, qui lucida parvo
Circuitu versant in summis orbibus astra,

Hi quoque concordi vocum diſcrimine carmen
Immortale dabant; tellus mare riſit, & aer:
Ipſa ſinu matrem proles complexa per altos
Aeris aſcendit tractus, iuxtaque paternum
Ad levam ſolium ſublimi in ſede locavit.
Interea miſſi ſtrato impoſuere feretro
Solliciti exanimum corpus, gremioque dederunt
Vallis, ubi magnum mundi & generale futurum eſt
Iudicium, & tali ſignarunt carmine marmor.
Parthenicae Divum Dominae, Matrique Tonantis.
Terga ferae titan nemeae extrema tenebat
Fulgentem cratera inter, claramque coronam:
Verum illud nati imperio poſt tempore parvo
Ablutum Iordanis aquis terraeque refecto
Pondere, & ardenti veſtitum luce, nihilque
Iam mortale tenens celeres in ſydera divi
Tollentes iterum menti impoſuere beatae:
Ipſa tenens ſceptrum, & nitido diademate fulgens
Cincta caput, terras amat, atque vocata favorem
Impluit, & coeli lucentibus imperat aſtris.

FINIS.

170

5 , 4 148